





~~E. 157~~

1) Laduel

2) Danacis

3) Piscator

Ei 157 (1-4)

nicht reifbar  
nicht PK



## HYPOSTATICA

DVARVM IN CHRI-


sto naturarum vnione &amp; eius

effectis, placida &amp; Christiana

disceptatio Theodori Bezæ,

Geneuensis Ecclesiæ Ministri,

CVM D. IOHANNE PAPPO,

*Argentinenſis Ecclesiæ**Doctore.*

GENEVÆ.

APVD EVSTATHIVM VIGNON.

M. D. LXXIX.



Théodore de Bèze

HYPOTATICA

DIARY IN CHRI

to natusum vniuerso & eius

electis, plicis & Christianis

disceptant. Theodori Beze

Genevensis Ecclesie Ministri

et

et

et

et

et

et

et

et

et

et

et

et

et

et

et

et

et

et

et

et

et



DE

D  
nat  
pla  
h  
Ec

TH



sekiu  
dam  
quas  
synax  
de hy  
tali d  
fenti








## DE HYPOSTATICA

DVARVM IN CHRISTO  
naturarum vnione, & eius effectis  
placida & Christiana, cum D. IO-  
HANNE PAPPO, Argentinenſis  
Eccleſiæ Doctore,

THEODORI BEZÆ, Geneuenſis  
Eccleſiæ Miniſtri diſceptatio.



DIDERVNT ami-  
ci quidam mei ante  
quinquennium, no-  
mine meo, de indu-  
ſtria, Hebraica forma  
in Nathanaelem Ne-  
ſekiũ demutato, excerptas à quibus-  
dam meis auditoribus duas Homilias,  
quas in hac ſchola paulò ante ſacram  
ſynaxin habueram, vt doctrinam tum  
de hypſtatica vnione, tum de ſacramẽ-  
tali corporis & ſanguinis Chriſti præ-  
ſentia, quæ perpetuò in his & aliis plu-

a.ij.



rimis Ecclesiis sonuit, aduersus contrarias sententias tuerer. Eas verò quū tanto pōst tempore visum fuerit D. Ioanni Pappo Argentinensi Theologo refutare, eaq. refutatio inter studiosorum manus versetur, puto veritatem ipsam à me postulare vt illius responsiones studiosius expendam, & ecquid contra nostram sententiam valerent, exponā. Id autem eò libentiùs facio, quòd hæc disputandi ratio, qua singula argumēta discutiūtur & breuiter ac perspicuè singulis respondetur, multò mihi videatur ad eruendam veritatem accōmodatior quàm si quis perpetua oratione, tū aliena recitans, tum sua proponens, vtatur. Testis est verò mihi Deus, nihil esse mihi aliud propositū, quàm vt veritatem tum in hoc argumento tum in cæteris magis ac magis, fauēte Deo, intelligam, & intellectam pro viribus asseram. Vter autem in errore versetur, penes legitimam Ecclesiæ synodum iudicium esto.

*Summa eorum quæ Beza de Cæna Domini  
differuit 7 & 9 April.*

*Anno 1574.*

*Primum*



*Primum Argumentum Bezae.*

**C**H R I S T V S non dicitur persona respectu vtriusq. naturæ, sed tantum respectu naturæ diuinæ. Causa est quia si natura humana esset persona per se, Christus compositus esset ex duabus personis. Natura igitur humana nihil aliud est, quàm natura, quæ sustētur à deitate assumēte, & persona Christi ante incarnationem fuit talis, qualis nunc est.

*Responsio Pappi.*

**F**A L S V M, erroneum, impium & blasphemum hoc esse facile demonstrari potest. Primum enim id conuincitur ex ipsius D. Bezae verbis, vbi vnionem hypostaticam sic definit, vt sit ex qua resultat vnica hypostasis, vt ex anima & corpore persona hominis. Si igitur ex vnione personali duarum naturarum in Christo resultat vnica hypostasis, necesse est ante illam vnionem Christum alio modo, nempe solius deitatis ratione, personam fuisse. Iam verò postquàm humanam naturam assumpsit, longè aliter, nempe quia diuina & humana natura, id est, creator & crea-

a. iij.



tura in vnitate ὑποστάσεως vniti sunt,  
 personam dicendum esse. Deinde si  
 Christus solius deitatis ratione persona  
 dicitur, sequitur humanitatem Christi  
 aut esse accidens huius personæ, aut  
 certè extra eam per se subsistere, quorū  
 illud aliqua ex parte Marcionis de ficti-  
 tio Christi corpore: hoc verò Nestorij  
 de naturarum in persona Christi separa-  
 tione deliriū redolet, vt interim ta-  
 ceam quòd in Deum non cadit accidēs  
 & reliqua absurda quæ ex necessitate in-  
 de sequuntur. Iam verò nihil ad rē per-  
 tinet quod inquit: Si Christus nō solius  
 deitatis sed etiam humanitatis assump-  
 ptæ ratione persona dicitur, fore vt hu-  
 manitas per se personā constituat. Non  
 enim id inde sequitur: & nostri nō do-  
 cent humanitatem per se & separatim  
 existere & personam dici, sed humani-  
 tatem in ipsam deitatis substantiam ita  
 esse assumptam, vt Deus & homo vna  
 sint tacti persona. Porro nihil etiā nobis  
 obstat, quòd dicitur Christi deitatem  
 ante incarnationem, vel assumptā hu-  
 manam naturam fuisse personam, vide-  
 licet secundam in S. Trinitate hyposta-  
 sin. Nemo enim est qui hoc neget. Ve-



tamen hoc quoque verum esse cō-  
tendimus, quòd Christus iam post in-  
carnationem alia ratione persona dici-  
tur. Nam quū ante illa persona esset tã-  
tū Deus, iam certissimū est Christum  
Deum & hominē esse in vnitāte perso-  
næ, in quo certē omnis nostra salus ver-  
titur.

*Apologia Beza.*

**H**ic cogor ego, Pappe, in ipso limi-  
ne modestiam & meliorē quoquo  
in meis citandis fidem desiderare. Con-  
uitia omitto, quæ tibi Deus condonet.  
De re ipsa agamus. Sic agis aduersū me  
quasi in Christi persona humanitatem  
excludam. Id quo iure facias ex meis  
verbis æquum est vt iudicium fiat. Mea  
verò verba hæc sūt. *Dicamus ubi agitur  
de Christo quid vocemus personā, an illud  
quod veluti compositum est ex deitate assu-  
mente & carne assumpta, ita vt si liceat no-  
bis Christū in frustra secare pars illius per-  
sonæ sit deitas, & pars altera humanitas?*  
*Nequaquam. Nec enim Christus vocatur  
persona PROPRIE humanitatis respec-  
tu, sed diuinæ tantum, quanquam non ab  
humanitate separata. Et mox. Verbum est  
simul natura & persona: humanitas autem*  
a.iiij.



*nō est aliud quàm natura quæ ( ut loquuntur in scholis ) personatur & sustentatur in deitate assumente, ut non duo sint Christi, sed vnicus Deus simul & homo, ex quo sibi naturam assumptam vniuit. Itaque dupliciter calumniaris, quum dicis negare me Christū dici personā vtriusq; naturæ respectu. Nec enim qui sic loquitur, negat Christū dici personā vtriusq; naturæ, sed singularū naturarum tanquā partium respectu: quemadmodum hominem quempiam minimè nego dici animæ & corporis respectu, etiam si negem hominem esse vel animæ vel corporis seorsim habita ratione. Sed hoc interest in hac similitudine, quòd homo, neque quod ad animam, neque quod ad corpus sigillatim attinet, est persona: Christus verò solius deitatis respectu propriè persona est. Propriè inquam, Pappe, quam voculam quum ommitteres, certè calumniam calumnia cumulaſti. Nam ea propriè dicitur hypostasis, quæ seipsa subſiſtit: quod dicere de humanitate, neque assumēda, neque iam assumpta potes, quin totidem personas quot naturas cum Nestorio, aut conflatiuiam tertiam aliquam hypostasin*



postasin ex duabus hypostasibus cum Eutichete constituas : atque adeo quin velis τὸν λόγον aut ante assumptam humanitatem non integram personam fuisse, aut in ipsam triadem hypostasin quartam inducere. Superest ergo ut humanitas dicatur & sit ita pars compositi, ut tamen sit persona improprie, nempe non seipsa subsistens, sed ad verbi hypostasin reducta, quæ, ut rectè ait Damascenus, facta etiam est ipsi hypostasis, cuius verba postea recitabo. Rectè igitur aiunt scholastici duas quidem esse in Christo naturas, sed ab una earum nempe à verbo sumi hypostaseos nomen & rationem, non autè ab altera, puta humanitate: & Christum, secundum quod Deus est, personam esse, sed ut hominem, nequaquam personam dici debere. Nec aliter accipiendus est idem Damascenus, Christi σῶμα ἐκ τῆς ὑπόστασις appellans, qua de re sic rectè eiusdè scholiasies, *Quum dicit confitendum esse filium Dei incarnatum secundum compositionem, & in ipso duas naturas inter se unitas in una composita hypostasi, Compositionis vox nō habet vulgatam & tritam acceptionem, ut sit alicu-*



ius totius ex suis partibus constitutio. Nec enim in Christo fuit eiusmodi compaginatio ex diuinitate & humanitate, quum illa dua natura minimè sint ipsius Christi partes. Non enim potest simplicissima diuinitas cum alio quopiam subire compositionem & constitutionem, quoniam id summæ simplicitatis rationi derogaret. Sed paulò differentem à priore rationem habet hac compositio, designans duarum naturarum in una hypostasi simplicissima unionem, citra totius constitutionem ex partibus. Hæc autem unio quum nostra mentis captum longè excedat, non nisi domesticis & ex nostra fragilitate petitis rerū nominibus veluti quibusdam adminiculis insinuari nobis potest. Idcirco nuncupatione compositionis plerunque exprimitur, & per totius ex duabus diuersæ naturæ partibus constitutionem tanquam proportionale quiddam declaratur, quum Catholica pie consiteatur Ecclesia, quòd sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Hinc igitur colligi potest quo iure me vt mihi ipsi repugnantem accuses, & modò vt Marcionitam reprehendas, quasi humanitatem Christi velim esse accidens, modò vt Nestorianum



num, quasi humanitatem à deitate se-  
iungam. Ratio verò quam attuli, cur  
Christus PROPRIE solius deitatis re-  
spectu, ipsam quoque videlicet huma-  
nitatem sustentantis, hypostasis dica-  
tur, etsi D. Pappo videatur ad rem non  
facere, est tamen sic apposita vt nihil  
aptius dici potuisse contendam. Sic e-  
nim ad verbum Damascenus hac ipsa  
de re differens. *Ἀπὸ τοῦ φύλου ἡμετέρας*  
*Deus verbum assumpsit, non quæ per se*  
*antè subsisteret, & individuum esset, ac ita*  
*postea sit in ipso assumpto, sed quæ in ipsius*  
*hypostasi subsisteret. Nam ipsa hypostasis*  
*Dei verbi, facta est carni hypostasis.* Quis  
enim non videt si humanitas ante as-  
sumptionem fuit hypostasis, necessariò  
sequi Christi hypostasim ex duabus hy-  
postasibus esse conflata, quæ si inte-  
græ post assumptam manserint, Nesto-  
rianismus necessariò consequetur: sin  
verò humanitatem desuisse personam  
esse dicamus, tunc sanè vnione perso-  
nali non assumptam, sed absumptam  
fuisse carnem dicendū erit. Quòd si de-  
nique ex vtraque vnā tertiam factam  
esse dicamus, tum sanè vitare Eutyche-  
tis blasphemiam non poterimus. In



his si tu mihi assentiris, immeritò me te  
prehendisti: sin minus, tu videris quomodo  
modo contraria possis confirmare.  
ex his quoque liquet iniuriam mihi quod  
te factam, quum mihi tribueres quod  
mihi nunquam in mentem venit, quòd  
videlicet dixerim talem ante incarnationem,  
qualis nunc est, fuisse.

*Secundum Argumentum Beza.*

**O**MNIPRESENTIA & omnipotentia sunt proprietates Diuinitatis:  
Si ergo communicatæ sunt Christo,  
sequitur error Patripassianonum, videlicet  
vt tota Trinitas sit incarnata.

*Responsio Pappi.*

**V**ERVM est, sunt hæc propria totius  
Trinitatis: sed tamen alia est  
omnipotentia gignēs, alia genita, alia  
procedens ab vtraque, id est, alia Patris, alia  
Filij, alia S. Sancti. Consideratur .n. hæc  
quasi *ὁπὸς ἐν*: siquidē Deus Pater in Trinitate  
est quasi principiū & origo reliquarum  
personarum. Dicimus autem non aliam  
omnipotentiam, quàm filij Dei Christo homini  
communicatam esse, in cuius videlicet  
subsistentia ipsa huma-



humanitas subsistat. Nam omnipotentia Filij Dei nihil aliud est, quàm ipse Dei filius, in cuius personæ vnitatem humana natura assumpta est.

*Apologia Beza.*

**R**URSVM in te meliorem fidem incitandis meis, & non immeritò fortasse scientiæ quoque plusculum desidero. Nec enim ego vnquam scripsi deitatis proprietates nō fuisse Christo communicatas, sed aduersus Brentium & Iacobum Andream, & alios eiusdē dogmatis assertores, negavi fuisse in Christi carnem effusas, quoniam hæc effusio hypostaticæ vnioni ex diametro repugnat, nedum vt per eam sit definienda. Ista verò quantum inter se differant, res ipsa demonstrat. Itaque te vehementer rogo, vt quum nostra voles reprehendere, attentius illa consideres, ne ipse tibi monstra confingere videaris. Quòd si ad vnionem naturarum significandam tibi visum est post alios aliquot Patres vtique communicationis voce, rectius tamē dixisses carni Christi, quàm Christo communicatas. Ad rem autem ipsam quod atti-



net, sic ego sū & in his homiliis & iam-  
 pridem aduersus illos argumentatus,  
 non simpliciter, vt tu es arbitratus, sed  
 ex illorum hypothēsi. Si ( vt illos scri-  
 pisse mox ostendam ) Verbum factum  
 esse carnem, siue hypostaticē vnīcū esse  
 carni, id vnum declarat, quòd Verbum  
 secundum *ὁμοίαν* quidem non aliter sit  
 in illa carne, quàm in re qualibet, sed in  
 carnem illam assumptam omnes suas  
 proprietates effuderit ( quas ipsi postea  
 definiunt Omnipotentia, Omnipræ-  
 sentia, Omniscientia &c. ) tum cō-  
 sequi totā triadem fuisse incarnatam,  
 id est, in hanc carnem effusam; quòd i-  
 stæ proprietates non sint Verbi pro-  
 priæ, sed ipsius absolutē cōsideratæ dei-  
 tatis. Tu verò quid respondes? *Sunt*  
*omnes hæ proprietates (inquis) totius Tri-*  
*nitatis, sed tamen alia est omnipotentia*  
*gignens, alia genita; alia procedens ab*  
*utraque, id est, alia Patris, alia Filij, alia*  
*S. Sancti. Dicimus autem non aliam om-*  
*nipotentiam quàm Filij Dei Christo ho-*  
*mini communicatam.* Sed audi, Pap-  
 pe, in qua tandem schola didicisti plu-  
 res esse omnipotentias? Nam si hoc ve-  
 rum est, plures quoque erunt essentiæ;  
 ac



ac proinde plures Dij, alius videlicet cuius  
 erit essentia gignens aliam essentiam, al-  
 ter genitus, alia videlicet genita essentia,  
 tertius denique ab utroque procedens al-  
 ia essentia ab utroque procedente. Atqui  
 istis notionibus Gignētis, Geniti & Pro-  
 cedētis haecenus credidi non ipsam esse-  
 ntiam distinguere, sed hypostasēs constitui.  
 Concedo igitur & essentiam & eius at-  
 tributa, quum ab essentia non res, sed ra-  
 tione tantum differant, per se quidem ab-  
 solute, ad personas vero quod attinet  
 in patre quidem ἀρχῶς καὶ ἀναρχῶς, in  
 filio autem & Sp. Sancto ἀναρχῶς & re-  
 late (idque realiter ut ipsae personae re-  
 ipsae inter se distinguantur) considerari.  
 Sed habere aliquid à seipso & habere re-  
 eandem ab alio, non facit ut res ipsa quae ha-  
 betur sit alia & alia, verum illius rei posse-  
 ssores ipsos inter se habendi modo distin-  
 guit. Notiones igitur personales tres  
 numero Gignere, Gigni, Procedere,  
 personas totidem numero reipsa distin-  
 ctas constituunt, ac proinde recte dici-  
 tur, Alia est persona patris, persona vi-  
 delicet gignentis: alia filius, persona geni-  
 ta: alia S. Sanctus, persona ab utroque  
 procedens, ὑπάρχῶς videlicet τρώπῳ.



non autem essentia. Hæc enim essentia tota est in singulis, quanuis non eodem subsistēdi modo: ac proinde neq; aliam gignit, neq; aliam emittit, quoniam ita totidem dii, quot essentiæ euaderēt: sed persona personā, puta pater filiū gignit essentiæ suæ toti<sup>9</sup> per modū generationis communicatæ, & tertia eiusdē essētiæ persona per modū processionis constituitur. Idē de essentialibus ipsius deitatis attributis statuendū est, ac proinde sicut vnus est Deus, vna eademq. essentia, ita vnicū esse eadē illa vnica omnipotentia omnipotētem, sicut ait Athanasius, quanuis tres sint personæ eadem illa vnica essentia & iisdē illis essentialibus proprietatibus præditæ. Neque verò hinc sequitur Patrem quoque & Sp. Sanctum fuisse incarnatos, si eadē & vnica est trium personarum essentia & omnipotentia. Nam lōgè aliud est dicere eandem essentiam ac omnipotentiam fuisse incarnatas (quod verum est quū vnica & singularis sit hæc essentia & omnipotentia) quàm eandem personam, quod falsum est, quum alia sit personæ Filius, quàm Pater aut S. Sanctus: ac proinde eadem quidem illa vnica  
essen-



essentia & omnipotentia sit incarnata  
 at non in tribus illis personis, sed in so-  
 lius Filij persona. De his si sic iudicas,  
 nimis certè improprie & inusitatè aliā  
 esse gignentem, aliam esse genitam, a-  
 liam procedentem omnipotentiam di-  
 xisti, pro eo quòd dicendum fuit, vnā  
 quidem & eandem esse trium persona-  
 rum omnipotentiam: sed quæ modò  
 sicut in Patre, modò sicut in Filio, mo-  
 dò sicut in S. Sancto, propter diuerfas  
 personales rationes consideretur. Hoc  
 igitur demus te scripsisse: dico tamen  
 ex Brentij & aliorū hypothesi, qui hy-  
 postaticam vnionem sola proprietatū  
 omnium in carnem assumptam effu-  
 sione definiunt, consequi quod illis ob-  
 ieci, nempe sic tres personas incarnatas  
 videri: quoniam videlicet ipsam essen-  
 tiam Dei (siue Deum secundum *θεοῦ*)  
 excepta illa effusione omnium proprie-  
 tatum, non aliam esse in Christo, quàm  
 in re qualibet diserte scribunt. Etenim  
 si hoc verum est, & ex *θεοῦ* cōmunica-  
 tione dependet ista proprietatum effu-  
 sio, quum tota *θεοῦ* in illa carne sic esse  
 statuatur vt vbique est: sit autem *ὅλος*  
 tota vbique, tota etiam *ὅλος* proprie-



tates effundendo seipsam totam incarnarit.

*Tertium Argumentum Bezæ.*

**I**ACOBVS Andreas in thesibus dicit: Inhabitionem Filij Dei in Christo homine non aliter considerandam esse, quàm in aliis rebus: sed differre tantum secundum magis & minus, quia in reliquas res Deitas effundat aliquas proprietates, in Christum verò omnes, id quod falsum est. Sequeretur enim inde Deitatē omnibus rebus, & ipsis quoque dæmonibus personaliter unitam esse.

*Responsio Pappi.*

**I**ACOBVS Andreas pro se respondit. Scimus autem ipsum non ire inficias alia ratione Deitatem communicari rebus omnibus quas creauit, redemit & huc vsque sustentat, & alia ratione homini Christo, cui personaliter unita est. Neque scripsit aut dixit vnquam, vt opinor, hos duos modos communicationis, tantum secundum magis & minus differre: sed libenter fatebitur illos differre toto genere, & plus etiam quàm genere.

*Apologia*



*Apologia Beza.*

**R**VRSUM in meo recitando argu-  
mento vel tu aliquid hîc omisisti  
vel certè qui tuas responsiones descri-  
pserunt. Addidi enim prætermis-  
sum abs te epithetum ESSENTIALEM in quo  
tota vis argumenti posita est. An autè  
ea in re fecerim Brentio & Iacobo An-  
dræ iniuriam, age ex ipsorummet ver-  
bis à me toties prolatis diiudicetur.

Ex isto Euangelistæ dicto, Verbum *Brentius*  
caro factum est, quod de Christo dici- *fol. 40.*  
tur non de Petro, discrimen Christi & *Recogni-*  
Petri in eo statuendum est, quòd filius *tionis, &*  
Dei etsi sua essentia implet Petrum si- *deinceps.*  
cut & hominem Christum, non tamen  
cōmunicat Petro omnes suas proprie-  
tates, sed tantum nonnullas.

Discrimē inter Christū & alios ho- *Pag. 63.*  
mines non constat propriè in habita-  
tione filij Dei in filio hominis, sed com-  
municatione proprietatū quibus filius  
hominis ab inhabitante filio Dei orna-  
tur, ut humana natura sit receptaculum  
augustissimum omnium celestium & di-  
uinorum beneficiorum. Hæc igitur Bren-  
tius, Andreas verò sic scribit. Non est  
imaginanda aut fingenda alia Dei in  
b.jj.



In dispu-  
tatione de  
maiestate  
hominis  
Christi the-  
si 20.

Christo, quàm in creaturis reliquis om-  
nib<sup>9</sup>, quoad *ἑστίαν*, diuinitatis præsentia:  
quæ vt in creaturis *ἐνεργεία* discernitur,  
quòd alia in aliis agat & operetur: ita  
in Christum tota effunditur, vt iam ex-  
tra ipsum nihil, sed in homine & per  
hominem Christum omnia in omnibus  
operetur.

Thesi 21.

Atque hæc est communicatio pleni-  
tudinis omnis deitatis, de qua loquitur  
Apostolus Coloss. 1.

Apologia  
ad theses  
Angolsta-  
dianas  
pag. 19.

Apostolus per formam Dei, secundū  
quam Christus dicitur æqualis Deo,  
intellexit dona in ipsam carnem assump-  
tam realiter effusa.

Pag. 24.

Res omnes à Deo substantialiter  
sustentantur.

Pag. 25.

Homo Christus dicitur Deus, non  
quia Deus sit in ipso (q̄ in omnib. crea-  
turis est, non modò natura, sed etiā se-  
cundū subsistentias) sed quia in assump-  
tione carnis dedit huic homini omnē  
potestatem in cælo, & in terra & com-  
municauit ei omnia dona, &c.

ibidem.

Diuinitas hominis Christi non est  
illa *ἑστία*, & æterna cum Patre & sã-  
cto Spiritu essentia communis, sed cõ-  
municata à secunda hypostasi. Et vt  
ynq



vno verbo dicam, quum hominem esse Deum dicimus, nihil aliud intelligimus, quàm quòd homo ad dextram Dei sedeat. Nam carnem assumere in Deum, nihil aliud est quàm omnē suam plenitudinem ei communicare.

Inter inhabitionem Dei in sanctis, <sup>Pag. 37.</sup> & in Christo hoc vnum est discrimen, quòd sanctis distribuat sua dona dimēsa, Christo autem immensa.

Christus homo hoc habet commu- <sup>Pag. 38.</sup> ne cum omnibus sanctis, quòd cum eo Deus personaliter fuit vnitus.

At cōtrà Lutherus in quadā concione. Quòd Chrstus in forma Dei fuisse prädicatur, certè diuinitatē indicat, itē quòd se exinaniuisse dicitur: porrò inanitio & serui forma, quid aliud quàm humanitatem testantur?

Hæc igitur illi, quibus vides eos aperte ista testari Deitatis Christi sine formæ Dei appellatione non ipsum λόγος, sed eius donorum effusionem in carnem assumptam significari, quod merè Nestorianum est.

Deum non aliter esse in Christo, quàm in omnibus creaturis, quod & ipsum est Nestorianum.



Deum esse in omnibus creaturis etiā secundum subsistentias, quod est merum Manicheorum delirium, & cum illis superioribus est prorsus ἀσύσπυ.

Personalem vnionem Dei & hominis in Christo esse cōmunem omnibus sanctis: & hoc v n v m esse discrimen inhabitationis Dei in sanctis, quod sanctis distribuat sua dona dimensā, Christo autem immensā.

An nō hoc est verò, Pappe, dicere personalem vnionē Deitatis τῆς λόγῃ in Christo differre ab inhabitatione Dei in sanctis (quam isti quoque personalem vnionem esse volunt) non καὶ γένος sed καὶ πλέον? Si hæc fortè tam monstrosa & in Ecclesia Dei intolerabilia probas, quo te loco haberi decet? Sin verò damnas (quod te, re tota diligentius expensa, facturum spero) vide, quæso, cuius causæ & quorū hominum patrociniū susceperis.

Sed & aliud habeo quod in hac tua responsione desiderem. Scis enim verbum communicationis in hoc argumento ambiguum esse, vtpote, quod ad vnionis cōsequētia effecta referri potius possit, quàm ad ipsam vnionē quum hic  
agamus



agamus de ipsa *καὶ λόγου* vnione hypo-  
 statica cum carne. Vocabulum autem  
 vnionis etsi Iacobus Andreas non du-  
 bitat vsurpare de Dei in sanctis, imò in  
 rebus omnibus inhabitatione differēs,  
 vt paulò antè citauī, mallē tamē te illā  
 ipsam vocem vnionis vsurpare. Dein-  
 de quale etiam istud est? Deitatem cō-  
 municari reb<sup>o</sup> omnibus? Deitatem res  
 omnes creasse & redemisse? Nam ego  
 quidem ista portenta nunquam adhuc  
 audieram, quamuis omnia in Deo esse,  
 viuere & moueri, ipsi quoq; prophani  
 vates viderint, atque adeo omnia Io-  
 uis esse plena dixerint. Istud verò *Deum*  
*huc usque res omnes sustentare* si tu  
 accipis vt de virtute illa rerum omni-  
 um vt creatrice, ita quoq; conseruatri-  
 ce, concedo. Sin verò cum Iacobo An-  
 drea subsistentialiter, id est, hypostaticè  
 res omnes à Deo sustentari vis, mox à te  
 ipso & tuo Andrea dissēris, quum Chri-  
 sto postea vni personalem vnionē, & id  
 quidem rectè & orthodoxè, vendicas.

*Quartum Argumentum Bezae.*

**P**ROPRIETATES Dei sūt pro-  
 pria quarto modo. Ergo non possūt  
 communicari alicui creaturæ: alioquin  
 b.iiij.



non essent proprię, sed communes, & Deus spoliaretur sua gloria.

*Responsio Pappi.*

**N**E c o consequentiam: Siquidem ille proprietates humanitati Christi communicari dicuntur non eodem modo quo ipsi diuinitati, sed aliter. Nā quū diuinitas eas habeat per naturam, humanitas earum particeps est per gratiam, quo modo etiam ipsa filij Dei essentia communicatur.

*Apologia Beza*

**A**G N O S C O Iacobi Andreę stropham, qui hæc Augustini verba eludens: *Non est consequens ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus: Augustinus non negat (inquit) humanitatem Christi ubiq; esse, sed negat eo modo ubique esse quo est ubique diuinitas*, Quasi verò Augustino aut cuiquā ante Brentium alij venerit in mentem ei naturā, quæ sublata circūscriptione nusquam sit, imò ne sit quidem, aliquem ubiquitatis modū tribuere. Sic tu quoque argumentum nostrū eludis, negās, quod tamen negari iure non potest, propriū quarto modo definire esse proprium, etiamsi alteri communicetur, modo

non



non eadem ratione cōmunicetur, quæ  
est alteri proprium: ac proinde mane-  
re deitatis suas proprietates, quamvis af-  
sumptæ carni communicentur, quoniā  
propriæ sunt deitati per naturam, fiat  
autem particeps earum humanitas per  
gratiam. Sed quis tibi concedet (exem-  
pli gratia) si quis fundum hæreditario  
iure possidens, alium liberaliter admi-  
serit in communē illius possessionem,  
fundum vni antea proprium idcirco  
non euadere communem, quoniam il-  
lius quidem sit hæreditario iure, alte-  
rius verò ex gratuito beneficio? Nam  
certè non communicationis modus,  
sed eiusdē rei communicatio qualiscū-  
que facit vt proprium euadat commu-  
ne. Deinde quānam erit proprium  
quarto modo quod soli cuiuspiam non  
comperit, quocunque modo non com-  
petat? Præterea nihil istorum, vt opi-  
nor, negabis, omnia videlicet Dei attri-  
buta esse quidem in ipso essentialia, at-  
que adeò Deum ipsum, sed quod ad res  
extra Deum positas attinet, magnum  
tamen esse inter hæc discrimen: & quū  
sit quædam analogiæ species inter De-  
um creantem & ipsius opera, sicut in



rebus creatis substantiam illarum ac deinceps earum accidentia consideramus, sic in Deo attributa quædam nobis quodammodo ipsammet eius essentiam cogitandā sic proponere, vt nulla ratione sint illis creatis rebus communicabilia, veluti seipso esse, æternum, immensum, simplicissimum esse: quædā verò veluti quarundā qualitatum speciem in Deo nobis representare, nempe bonum, iustum, misericordem esse, quæ analogica quadam homonymia rebus creatis non vt essentia, sed vt qualitates per accidens attribuantur. His autē positis, necesse est vt quæ dicis per gratiam humanitati assumptæ communicari, vel ad prius, vel ad posterius attributorum genus referas, quoniam ad vtrumque non potes. Quod si ad posteriora referas, quum disertè dicas sic ipsā filij essentiā communicari, vt eius proprietates, sequetur velle te cum Brenio, vel cum Nestorio potius, Christum esse Deum per accidens, id est, non natura Deum, sed donis excellentissimè in carnem effusis, cæteris sanctis esse diuiniorē: quod dogma, vt emolliret Iacobus Andreas, excogi-



gitauit scilicet *σοφὸν φαρμακὸν*, quum diceret *unitam esse carni Deitatem quasi per accidens*. Sed vbinam istud *Quasi* inuenerit, qui disertè scribit *Deum cū sanctis omnibus personaliter unitum, neque Deitatem Christi esse ὁσιώδην, sed donorum omnium plenissimam effusionem, id est verè accidentariam*? Quod si ad prius attributorum merè essentialium genus id referas, præuaricaris profectò. Tum enim communicationis nomine vnionem intelliges, quæ quum saluis cuique naturæ essentialibus proprietatibus facta fuisse intelligatur, non iam in ipsam humanitatē fuerint illæ proprietates effusæ: ac proinde hypostaticæ vnionis definitionem à Brentianis allatam prorsus euerteris, atque adeo meum argumentum prorsus confirmaris.

*Quintum Argumentum Beza.*

**S**i proprietates diuinitatis communicatæ sunt humanæ naturæ. Ergo est æterna & infinita, vel coguntur aliquas proprietates excipere, & à seipsis dissentire, quum videlicet antea dixissent omnes proprietates humanitati esse communicatas.



*Responsio Pappi.*

**N**Ego consequentiam. Non enim dicimus has proprietates humanæ naturæ per se & separatim consideratæ communicatas esse, sed in concreto, homini Christo, quatenus videlicet personaliter vnitus est filio Dei. Et hac ratione non absurdum est dicere etiam hominem Christum esse æternum, infinitum, omnipotentem & omnipræsentem &c. quia vna est subsistentia personæ & ὁμοῦς cum filio, qui æternus est, infinitus, omnipotens, omniscius, omnifapiens, & omnipræsens. Animaduertendum tamen hîc est, ne ideò tantum Christum omnipotentem & æternum esse dicamus, quia ipsius diuinitas talis est, sed etiam secundum humanitatem, verè ( suo modo ) talis dici debet: non quatenus est humanitas per se & absolutè considerata, sed quatenus, vt diximus, assumpta est à deitate in vnionem personæ.

*Apologia Beza.*

**A**TQVI tam necesse est, vt cui communicata est in sese, siue essentialis siue accidentalis Infinitas, sit ac dicatur



tur infinita, quàm necesse est album esse cui impertita est albedo, siue per naturam, siue per gratiam id fiat: neque id magis inficiari potes, quàm solem meridie non lucere. Eos autem quorum dogmati patrocinaris, per diuinitatem Christi non intelligere illam ἐνωσιν, qua λόγος Deus est: sed dona quamuis supra omnem mensuram, tamen non aliter in Christi humanitatē, quàm in cæteros sanctos effusa, ideoque hypostaticam vnionem in genere facere Christo cum omnibus sanctis communem, paulò antè prolatis ipsorum verbis ostendimus. Itaque quum ad hypostaticam vnionem refugis tanquam Christo propriam, non vides causam abs te prodi, quam tuendam suscepisti? Vos autem postquā sine vlla exceptione dixistis OMNIA quæ deitatis per naturam propria sunt, realiter per gratiam fuisse in humanitatem assumptā effusa: cogi tamen aliqua excipere ex vestro ipsorum testimonio liquet. Cōceditis enim humanitatem Christi esse creatam, neque infinitam, neque immensam. Ergo neque ἀντεοία, neque æternitas principio carens, neque in-

Non enim  
res huma-  
næ confide-  
re concre-  
s videlicet  
ei. Et hac  
ere etiam  
num, infir-  
ni prælen-  
entia per-  
æternus  
nniscius,  
. Ani-  
t, ne ideo  
tem & æ-  
suis diui-  
ndum hu-  
o talis dici  
anitas per  
ed quate-  
à deitate  
ut cui cō-  
essentia-  
t ac dica-  
tur



finitas, neque immensitas illi communicata fuerit, quas tamem esse Deitatis proprietates inficiari non potestis. Aliquas igitur vos excipere ac proinde à vestra ipsorum sententia desciscere fateamini necesse est. Agetamen, expendamus quod sit responsionis tuæ momentum. Negas humanitatem à nobis dici æternam, infinitam, omnipotentem, omnipræsentem, etiam si dicatis omnes deitatis proprietates illi esse communicatas. Ceddò quamobrem *Quoniam* (inquis) *non dicimus communicatas esse humanitati per se & separatim consideratæ, sed in concreto homini Christo, quatenus unitus est filio Dei, qua ratione nihil prohibet dici etiam Christum hominem esse æternum, infinitum, omnipotentem &c.* Rectè profectò si paulò apertius loquereris, & hoc ipsum quod respondes paulò meliùs intelligeres.

Nam, quæso, quid sibi vult istud, NON PER SE? *Idem*, inquis, *quod NON SEPARATIM.* Ergo discedis à Brentianis, qui quum (vt paulò antè ostendimus) disertè scribant *Deum non aliter inesse Christo homini secundum verbi &c. ian quam reliquis sanctis, imo unitum esse Deum*



*Deum rebus omnibus secundum Subsistentias*, necesse est vt vel ab ipsis apertè dissentias, ( quod si facis, rectè facis ) vel vt cum illis hominem separatim à verbo in Christi persona, vt in reliquis rebus cōsideres, ac proinde nobis hoc tuo responso illudas. Deinde quum hæc duo *Separatim considerari, & Considerari* quatenus est *vna Subsistentia personæ filij Dei & hōis*, inter se opponis, nōne rursum Iacobum Andream vt Nestorianū nobiscum coarguis? Deinde quid D. Luthero fiet, qui hoc sentientes quod tu dicis, hominem videlicet esse omnipotentem, imperitos vocat? Eius enim hæc ipsa sunt verba in concione quadā, vt tu minimè ignoras. *Quidam*, inquit, *imperiti omnipotentem in Christo hominē faciunt permiscentes duas naturas atque opera eorum parum prudenter*. Audis igitur illos à Luthero vt Eutychanos coargui qui Christum statuunt hominem esse omnipotentem? *Per se*, inquires, *cōsideratū*. Atqui à Brētianis non nisi per se atq; adeò separatim vt reliquos sanctos illum considerari docuimus. Res autem ita se habet, vt te quoque spero, vbi sine præiudicio istam causā diligē-



tius expenderis , facilè iudicaturum.  
 Cōcreta nomina Dei & Hominis sepe  
 nō ipsas naturas, sed personā declarant,  
 idque vel distinctè, vt si dicam , *Deus*  
*verbum factus est caro, & Christus homo*  
*est ex semine Dauidis*, in quo dicendi ge-  
 nere Deus & Homo καὶ αὐτὸ, id est, in  
 sese & suiipsius ratione habita conside-  
 rant distinctè. Verbū enim ipsum factū  
 est caro, vt loquitur Damascenus , ad  
 suam subsistentiam carne reducta, &  
 Christus homo est in semetipso ex Da-  
 uidis semine: vel ὅλως, id est, ita vt totā  
 coniunctim consideratam personam  
 quamuis ab altera tantū natura de-  
 nominatam designet, cuius generis du-  
 plices sunt attributiones. Nam ἀποτέ-  
 λεισιν κατὰ τῶν ἐνεργειῶν, id est, ipsarum o-  
 perationum effecta quamuis à duplici  
 operatione, eaq; distinctè in duabus na-  
 turis considerata promanent , tamē to-  
 ti personæ vt subiecto tribuuntur pro-  
 pter μετὰ ἀλλήλων, id est, mutuam cōmea-  
 tionem, quæ est hypostaticæ vnitionis  
 effectum. Sic dicitur Vnus esse media-  
 tor homo Christus Iesus : Mediator  
 enim est Christus ὅλως quamuis ab al-  
 tera tantū natura homo nominatus,

&amp;



& Deitate quidem diuina, humanitate vero humana peragente, quod non animaduertens Stancarus Ecclesiam perturbauit & Arrianis atq. Tritheitis aditum aperuit. Altera autem attributio in eodem illo posteriore dicendi genere, quo videlicet persona Christi ab altera tantum natura in concreto denominatur, ea est qua vel proprietates naturarum essentialis vel earum *ἐπεργεῖαι*, quamuis re ipsa subiecta suarum naturarum non egredientes, de Christi persona, ab altera diuersa natura in concreto denominata, dicuntur, sic videlicet vt humana de Deo, diuina de homine prædicetur, quod Damascenus *ἀντίδοσις* vocat, immeritissimè à D. Luthero, illam certè non intelligente, flagellatam, plerique verò *κοινωνίαν ἰδιότητων* appellant, veluti quum Deum gloriæ ( Verbum videlicet ) dicimus fuisse crucifixum, & hominem Christum, quum esset in terris, fuisse in cælo, qua in referè consistit nostræ controuersiæ cardo. Quoniam enim Brentiani hypostaticam vnionem definiunt reali in carnem ipsam Deitatis proprietatum haud secus (quamuis absque mensura) quam



in cæteras res creatas effusione, vt paulò antè ostendimus, consequitur ipsos velle proprietates diuinas homini tanquam subiecto per gratiam inhærere, quum non aliter cæteris rebus creatis insint, quod dogma apertissimè ex hæresi Nestoriana quod ad ipsas naturas, ex Eutychiana quod ad proprietatum essentialem effusionem attinet conflatum Kemnitius quum ingenuè refellere debuerit, obtegere tamen *πειχωρήσεως* nomine & igniti carbonis opposita similitudine studet. Tu verò si quid sit istud *κ. θ' ἀντὶ* satis intelligis, rectius profectò sentis, quod sic facillimè cognoueris. Primùm circumspecte quænam ista diuina sint quæ homini assumpto, & quænam humana Deo Verbo tribuantur. Omniâne? Omnia certè sine vlla prorsus exceptione. Quamobrem? quia tota Deitas naturam humanam totam assumpsit. Itaque ὁ λόγος tā verè dicetur creatus, conceptus, passus, mortuus, sepultus, excitatus à mortuis, quàm homo iste æternus, immensus, omnipotens, omnipræsens, omniscius denique, vt vno verbo omnia complectar, vnigenitus ille Dei Filius  
contra



contra Nestorium. Num verò essentialiter aut potius accidentaliter vel, vt loquitur Iacobus Andreas, quasi essentialiter? Imò prorsus essentialiter. Quamobrem? quoniam ipsamet essentialis Deitas in Verbi hypostasi essentialem humanam naturam totā ( vt pote quæ diuidi non possit) assumpsit. Ecce igitur plus vobis etiam multò largimur, quàm postuletis. Vos enim cogimini excipere *αὐτοῦ*, æternitatē principio carentem, infinitatem & immensitatē & ex consequenti profectò, (quicquid dicatis) omniscientiam & omnipresentiam. At nos nihil prorsus Dei esse dicimus, quod homini assumpto non tribuatur. Vos itidem *ἐκ τῆς* ex altera parte, qua videlicet diuinis humana tribuuntur, debilitatis. Nos fate-mur quidem in hac hypostatica vnione dominari naturam assumentem, sed nihilominus pari prorsus ratione diuinis humana atque humanis diuina tribui docemus. Qua in re igitur dissidemus? nempe in eo quòd istud *καὶ τὸ αὐτὸ* vel certè non intelligere potestis, vel non rectè explicare. Video enim vos illud accipere interdum pro PER SE,  
c.ij.



id est, suapte vi & natura : quo sensu dixisti paulò antè humanitatem habere proprietates diuinitatis non per naturam, sed per gratiam & ex dono Dei. Interdū autem (vt hoc loco) istud PER SE exponitis SEPARATIVIM, id est ( vt istud durius dictum interpreter ) seorsim, distinctè, absolutè : quæ acceptio tolerabilis esset, nisi mox illam deprauares, quum id quod de concreto verè, id est, de persona ab altera tantum parte, puta homine denominata dicitur ad abstractum, id est ad naturam ipsam humanitatis accommodas, idque certè superuacaneè, quum humanitas, vt mox dicam, nunquam nisi in sese naturam ipsam hominis declaret. Omnino verò καὶ τὸ αὐτὸ in hac disputatione opponitur τῷ καὶ ἄλλο, quorum illud quidem aliquid in semetipso siue quale est in sese siue id ex natura siue per gratiam habeat, istud verò quippiam non in sese sed in alio siue alterius cui adheret respectu, consideratum significat. Sic, exempli causa, credentes dicuntur iusti, ἅπιοι, ἁμωμοι non in sese, sed in Christo, cui tanquam subiecto inheret iustitia, quæ nobis mysticè cum ipso  
per



per fidē vnitis imputatur : quamuis hec  
 similitudo ad rem istā prorsus nō qua-  
 dret , quoniam credentes non mo-  
 dō καὶ ἄλλο, sed etiam καὶ ἄλλον, non  
 autem καὶ ἑαυτὰς iustitia Christi iusti-  
 ficantur, in Christo verò non est ἄλλος  
 καὶ ἄλλος (quod non vidit Brentius per-  
 sonalem vnionem faciens cunctis san-  
 ctis communem) sed duntaxat ἄλλο καὶ  
 ἄλλο. Cedo igitur qua ratione Homo  
 iste Deus est? certè non in sese vllò  
 modo sed in Verbo in quo subsistit.  
 Item, qua ratione Verbum est homo?  
 certè non in sese vllò modo, sed in car-  
 ne assumpta. Eadem est autem prorsus  
 essentialium quoque proprietatum at-  
 tributio, quæ ipsarum essentialium na-  
 turarum. Qua ratione igitur homo iste  
 est non modò omnipotens, omniscius,  
 omnipræsens, verumetiam æternus &  
 vnigenitus Dei filius, increatus, infi-  
 nitus, immensus, & quicquid est Deus  
 Verbum? profectò non in sese (siue sui-  
 ipsius respectu siue seorsim siue coniun-  
 ctim eum consideres) sed secundum a-  
 liud, nempe Verbi in quo subsistit re-  
 spectu. Neque vicissim aliter Deus glo-  
 riæ dicitur conceptus ex semine Da-  
 c. iij.



uid, natus, passus, mortuus, sepultus, suscitatus à mortuis, & quicquid homo est: quòd si agnoscere in animum inducas (quid autem est ista veritate apertius) ecce, mi Pappe, pax erit Ecclesiis reddita, omnibusque sublatis contentiõibus cælum terramque exhilarabimus. Nam quod addis *Christum dicendum esse omnìpotentem & aeternum etiam quod ad humanitatem attinet, non tamen*, inquis, *absolutè consideratam, sed quatenus est assumpta*, credo tibi ipsi, ubi attentius quid hoc rei sit dispexeris, displiciturum: imò etiam futurum ut à te hac in re aliquatenus ij ipsi dissèrant, quibus videri vis patrocinari. Obsecro enim, quid est humanitas nisi ipsa in sese humana natura? quid est Deitas Christi nisi Verbi hypostasis, in sese considerata? Euolve sacras literas, consule omnes omnium ætatum interpretes, consule denique teipsum absque præiudicio, & fateberis, quales res sunt in sese absolutè, tales appellatiuis abstractis nominibus significari, & alioquin nihil in appellandis rebus certū & statutum fore. Quid verò? si humanitas non absolutè considerata, sed quatenus

af-



assumpta est, æterna est ( vt tu scribis )  
 cur non itidem Deitas in ea quã assum-  
 psit natura dicetur nata, passã, mortua,  
 excitata? quod etiam audio Andream  
 Musculum disertè profiteri, vt iam Eu-  
 tychianisimum eiurare non possit? Scio  
 quid respõdeatis, nempe Deitatem nõ  
 fuisse affectam in se se carnis assumptæ  
 infirmitate, ( quod tamen apertè dicit  
 Musculus ) sed humanitatem contrã  
 assumptam fuisse in maiestatem diuinã.  
 Concedo, saluis cuique naturę proprie-  
 tatibus. Sed quid hoc ad rem? Nam  
 proprietates ( vt ipse Kemnitius fate-  
 tur ) neutrius naturæ subiecta egredi-  
 untur. Itaque non magis dici potest  
 effusa mortalitas in Deitatem, quàm in  
 humanitatem *diversa*, & infinitas, ac  
 cæteræ proprietates vique adeo essen-  
 tiales vt accidere nulli subiecto possint.  
 Nec enim magis potest aliquid fieri in-  
 finitum ( cohæret autem cum infinita-  
 te omnipræsencia necessario perpetuo-  
 que nexu, sicut circumscriptio cum  
 natura finita ) quàm aliquid fieri Deus  
 accidentalis. Audi, quæso, Pappe, quid  
 dicat Damascenus lib. 3. cap. 3. quo ne-  
 mo accuratiùs hanc quæstionem ex-  
 c. iij.



plicauit. *Quomodo, inquit, natura quæ una est, contrarias essentielles proprietates in sese receperit? Vides damnari realem effusionem Brentij. Quæ enim fieri potest, ut eadem natura secundum idem creata sit & increata, mortalis & immortalis, circumscripta & incircumscrip- ta? Quid est autem SECUNDVM IDEM aliud, quàm quod dicim<sup>9</sup>, in eodẽ subiecto? Nam alioqui natura hominis est simul & mortalis & immortalis, sed illud quidem secundum corpus, istud verò secundum animam. At in Christo illæ proprietates oppositæ secundum duas diuersas naturas dicuntur, ideoq; vni & eidẽ nature in sese ut in subiecto cõuenire nullo modo possunt. Relinquitur ergo proprietates essentielles rectè quidem permutari in concreto propter gratiam vnionis, sed κατ' αλλο non κατ' αὐτό: in abstractas verò nominibus tam falsam esse hanc enuntiationem, *Humanitas est æterna vel omnipotens in Deitate*, quàm si diceres, *Humanitas est Deitas in Deitate*. & tam impium esse dicere *Deitatem esse creatam aut circumscriptam in assumpta humanitate*, quàm *Deitatem esse humanitatem in assumpta humanitate*.*

Causa



Causa est, quoniam vt ait rectè idem Damascenus lib. 3. cap. 4. *Deitatis & humanitatis nomina ipsas substantias siue naturas representant: Dei verò & hominis nomina modò de naturis dicuntur, modò de hypostasi, illo quod partis rationem habet recipiente nomen totius, veluti quum persona ipsa Christi vel Deus vel homo vocatur.*

*Sextum Argumentum Beza.*

**D**EITAS Christi omnia quidem agit in humanitate, & non ab humanitate separata, sed tamen non per humanitatem: vt corpus suum excitauit ex morte, diuina sua virtute, nò per carnem vel humanitatem suam.

*Responsio Pappi.*

**P**RIMUM si Deitas Christi aliquid agit nò conscia aut socia humanitate, sequitur humanitatē assumptam esse non in totam filij Deitatem, sed tantum in partem eius aliquam, de quo alibi plura diximus. Deinde duæ naturæ in Christo ne in ipsa morte quidem separatae fuerunt ab inuicem: sed mansit earum vnio hypostatica. Licet enim corpus ipsius ab anima tum verè separatum fuit, tamen anima, præstan-



tiſſor videlicet humanitate, ſemper perſonaliter cum filio Dei fuit vnita. Cum anima ſua igitur & per animam quoq. diuina ſua virtute Chriſtus corpus ſuū ex morte reſuscitauiſſet.

*Apologia Beza.*

**S**IC V T effuſio realis eſſentialium proprietatū extra ſua ſubiecta merus eſt Eutichianiſmus : ita quum hypſtaticam vnionem ex eo definitis quòd Verbum agat omnia per humanitatem aſſumptam mihi quidem vide-  
mini manifeſtè tranſire in Monophyſitāū & Monothelitarum caſtra. Mutuus enim eſt & inſeparabilis nexus naturarum cum eſſentialibus ſuis proprietatibus & earundem energiis. Itaq; ſicut duas naturas quarum vna non eſt altera, ſed alteri hypſtaticè vnita, ſic earundem & proprietates eſſentiales & energias abſque vlla trāſfuſione aliarum in alias diſtinctè ſeruari neceſſe eſt, Deitate videlicet diuina, humanitate verò humana peragēte, quamuis ἀποτε-  
λέσματα ſint toti perſonæ communia tum propter vnionem tum propter co-  
operationē ipſarum naturarum. Co-  
operationem autem intellige, non quòd  
vna



vna eademque sit vtriusque energia, sed quòd ad vnicum ἀποτελεσμα concurrant distinctę singularum naturarũ actiones. Exemplo sit excitatio Lazari à mortuis. Ad hoc opus concurrunt actio Deitatis propria, nempe repetita connexio animæ Lazari cum eiusdem corpore, deinde actio humanitatis tum secundum animam (cogitauit enim & voluit anima Christi q̃ faciebat Deitas) tum secundum corpus, clamante lingua, Lazare veni foras. Sic sanata est hæmorroissa corporis Christi contractu, quãuis propria fuerit Deitatis actio sanguinem illius sistere. Cuiusmodi alia multa à Damasceno pulchrè explicantur li. 3. c. 15. Sed & aliud considerandũ arbitror nempe sicut actiones ipsę naturarum distinctę sunt, ita etiam actiones quasdam esse singularum naturarũ simplices & nudas: vt exempli gratia, νόημα, id est, prima mentis conceptio est nuda ipsius mentis actio, quã si sermone cuipiã declararet, tunc est actio non simplex, sed ob admotã corporis actionẽ cõposita. Sic in verbo ppriæ sũt & vni Deitati sigilatim consideratę immanentes actiones simplices quas si per huma-



nitatē fieri dicas, non minus pecces quā si humanitatem in ipsam Deitatem cōuertas. Christus certē vt pote verus Deus Patri ὁμοῖος, nec effusis duntaxat in carnem donis sicut & reliqui sancti, vt vult Iacobus Andreas, sed verē ὁσιώδης, nouerat quid in cordibus hominum lateret, vidit absentem Nathanaelem, omnia habuit sibi præsētia, Patri semper cooperatus est in mundi gubernatione: num, quāso, per humanitatem, quanuis non sine humanitate, id est, Deitate ab humanitate nō separata? Quod si quid in istis operata est humanitas cū Deitate, humanitas potius per Deitatem operata fuerit, quā per humanitatem deitas, vt vestra ἀνεγλογία nullo modo sit in istis quæ cōmemorauī, tolerabilis, nisi dicere malitis animam per oculum, quā oculum per animam videre. Rectē igitur dixi & dico τὸν λόγον non omnia fecisse per humanitatem. Tu verò vt hoc eludes dicere maluisti *Non conscia aut socia humanitate*, quæ verba non possum ego coniicere quomodo sis explicaturus, nisi quod existimo te prius illud ad Θεωείην, posterius ad ὁράξιν ipsam accommo-



modatarum, vt videlicet nihil scierit Verbum quod non simul scierit humanitas ipsius, neque sit vllum opus Deitatis in quo non sit ipsa cooperata humanitas. Istud verò cuiusmodi sit agendum sigillatim expendamus. De societate quid nobis videatur iam diximus, quod expectabo dum refutes. De scientia non ignoro quid nonnulli, ac inter illos Damascenus, senserint quasi videlicet ab ipso conceptionis momento anima Christi perfectissima sapientia fuerit prædita, quod tamen Ambrosius rectè negauit, quem Lombardus frustra in partes suas trahere conatur. Ne verò diutius aut pluribus ea de re vobiscum contendam, ecce tibi D. Lutheri verba ex accuratissimè scripta concione in Dominicum diem natali Christi proximum, in hæc verba Luc 2. § 1. Puer autem crescebat & c. *Finxerunt, inquit, argutuli quidam nouū fidei articulum, Christum in instanti, vt loquuntur, conceptionis suæ etiam secundum hominem fuisse plenum Spiritu & sapientia, adeo vt nihil prorsus in ipsum potuerit postea quouis modo immitti, quasi anima eius fuerit in modum vtrius, quem ita im-*



pleas ut nihil prater ea queat in se recipere. Nesciunt planè isti & quid loquuntur & quid affirmant. Et mox. Amplectamur igitur verba Euangeliste, & ea quàm simplicissimè de Christi humanitate intelligamus que Deitatis instrumentum & veluti domus quadam fuit, plena semper spiritu Dei. At is non semper eam similiter mouit, sed alia atque alia ratione secundùm diuersitatem negotiorum & occasionum rem Patris agendi. Ita, licet nunquam ei absuerit Spiritus Sanctus, sicut corpus eius per incrementa temporis succrescebat, & rationis usus quotidie reddebatur auctior pro modo nature, ut & aliis hominibus euenit, ita & Spiritus continuò penitus illi sese immisit, mouitque illum pro ætatis ratione potētius & ad plura. Neque enim figmentum est quod Lucas ait, Corroborabatur spiritu, sed ut verba sonant ita simplicissimè quoque res euenit, ut quantum accessit ætatis, tantum & magnitudinis, quantum, verò magnitudinis, tantum & rationis, utq; ratione auctior, ita & spiritu euasit robustior & sapientia plenior coram Deo in seipso, & coram hominibus: neque hæc verba opus habent alia glossa, sed hæc huius loci naturalis intelligi-

telige  
est. h  
omnes  
ne, spi  
se habet  
lud pra  
Christi  
stum ad  
cum ten  
menta  
aliis,  
diuinis  
Hoc pat  
modo  
subtile  
quem  
oppor  
effusio  
proprie  
omnes  
tionis m  
respond  
Transig  
tere cum  
egit Ch  
humani  
tam hu  
sumpta



*telligentia & sine periculo & Christiana est. Et mox. Quum sit ita comparatum ut omnes homines augeantur corpore, ratione, spiritu & sapientia, neque sit qui aliter se habeat, voluit Lucas hic de Christo illud predicare, quod Paulus scripsit Phil. 2. Christum se inaniuisse &c. nempe Christum ad eundem modum sese habuisse, & cum tempore etiam aliarum rerum incrementa accepisse, sed accepisse praestantius aliis, eo quod ingenio fuerit nobilior & diuinis dotibus opulentiùs aliis ornatus. Hoc pacto nihil erit difficile in verbis Lucae, modò arceantur argumentorum istorum subtiles nugæ. Audis, Pappe, Lutherum, quem vnum omnibus quoties libuit, opponitis, figmentum Maiestaticum, effusionem realem omnium Deitatis proprietatum in carnem, operationes omnes per humanitatem ab incarnationis momento, tuum denique hoc responsum ex professo damnantem? Transige igitur cum illo, aut potius fatere cum veritate, etiam si non omnia egit Christi Deitas conscia aut socia humanitate, non tamen propterea totam humanitatem à tota Deitate assumptam non fuisse, quod certè cogi-*



tare debueras non minus valdè absurdū esse, quàm si diceres totam Deitatem non assumpsisse totum corpus, quoniam pedibus non videat vt oculis. Quinetiam, quæso, quum tu, veritus ne alioqui hypostatica vnio dissoluatur, contendis humanitatem fuisse sociam & consciam omnium Deitatis actionū, quid obsecro per humanitatem intelligis? animam profectò quū de scientia quæritur, quia scientiæ subiectum non est corpus. Age igitur si rectè argumentatus es, cur non rectè quoque concludero, vel non assumptū fuisse corpus à Verbo, vel corpore quoque Christum omnia sciuisse & cognouisse? Sed hoc te fefellit, quòd cum Iacobo Andrea assumptionem carnis à Verbo factam pro effusione donorum accipis (quum non aliter possis partem Deitatis interpretari) id est, vnionem ipsam pro eius effecto, siue, vt in scholis loquūtur, gratiam vnionis per quam homo sustentatur in Verbo, cum gratia habituali, id est, donis à Verbo in ipsam carnem effusis, permittes, quæ sanè dona etli tanta sunt quanta in vllam rem creatam conferri & immitti possunt.



possunt, adeo vt nomen habeat, hactenacum ratione Christus supra omne nomen, nihilominus tamen infinita esse non magis possunt, quam humanitas ipsi Deitati secundum *εἰς* exequari, vt videatur non satis posse reprehendi vox illa Brentianorum, qua inquirunt se exæquare humanitatem Christi diuinitati non *εἰς*, sed *ἐξουσία*: non essentia, sed potentia: non natura, sed gloria: non substantia, sed maiestate. D. Lutherus quidem certè non minus falsè istud Omnipotentiae carni insitæ figmentum, quàm alterum illud Omniscentiae deridet, alia concione iam pridem edita, & iam antea citata his verbis, *Imperiti quidam omnipotentem in Christo hominem faciunt, permiscentes duas naturas & opera earum parum prudenter.* Hæc ille, rectè sanè sentiens, quem non excusauit, sed graui probro affecit Hamburgensis ille, qui nuper hanc concionem inter Lutheri næuos reposuit, aduersus quosdam scribens.

Cæterum vt probarem hypostaticam vnionem neque ex proprietatum effusione neq. ex cooperatione naturarum, quales illas esse vultis, definiri oportet.



re, præter nonnulla quibus non respō-  
des, illud quoque protuleram, quod  
Verbum dici non possit præstantissimū  
illud opus resurrectionis per humani-  
tatem suam, sed in humanitate sua, sola  
virtute suæ Deitatis edidisse, quod ex  
his ipsius verbis probavi, *potestatem  
habeo deponendi animam meam & rursum  
illam accipiendi.* Tu respondes, quā-  
uis separato ab anima corpore, Deita-  
tē tamen fuisse personaliter cum anima  
ut potissima humanitatis parte unitam  
ac proinde τὸν λόγον, per animam quoq;  
τὸν λόγον corpus suum exitasse. Atqui  
videsis ne in hac responsione multum  
peccaris. Etenim si existimas Deitatem  
post corporis ab anima separationem  
fuisse duntaxat cum anima personali-  
ter unitam, nemo Christianus te feret,  
quoniam altera saltem ex parte hypo-  
staticā vnionem dissolueris, quod si ve-  
rum esset, sepultura Christi nobis viui-  
fica non esset. Illud autem extra cōtro-  
uersiam est, animam Christi, quandiu  
cum corpore ipsius coniuncta fuit, fuisse  
medium quiddam connectens Dei-  
tatem cum assumpto corpore, eādem  
verò per mortem à corpore suo separa-  
rata



rata, tunc Deitatem fuisse medium vin-  
culum animam suo interuētū cum cor-  
pore copulans, quamuis illæ per mortē  
esset separata: ita ut ante mortē extre-  
ma in Christi cōpositione fuerint Dei-  
tas & corpus, anima verò medium, post  
mortem verò Anima & corpus, Dei-  
tas verò medium: Deitate tamen &  
ante & post mortem, humanitatem to-  
tam sustentante. Deinde quomodo  
tandem ista verba, Potestatem habeo  
deponendi animam meam, responsio-  
ni tuæ accommodaris? præterquàm e-  
nim quod de altera tantum huius dicti  
parte, nempe de posteriore respondes,  
quāuis id quod deponitur & quod rur-  
sum accipitur interuenire in ipsa de-  
positione & resurrectione sit necesse,  
quis tamen tibi concesserit deponen-  
tem & resumentem agere per illud i-  
psū, quod deponatur & resumatur,  
id est, agens agere per ipsum patiens?  
Quod si etiam istud tibi largirer, Ani-  
ma, quæso, estne tota humanitas per  
quam vultis omnia agere Verbi Dei-  
tatem? Quod si anima non est à  
corpore separata, etiam si per illam so-  
lam agat interdum Deitas, cur separa-  
d.ii.



tam à nobis dices humanitatem à Deitate, nisi fateamur Deitatem quicquid agit agere per humanitatem?

*Septimum Argumentum Beza.*

**H**UMANITAS est instrumentum diuinitatis. Sed instrumentū non semper necessario est vnitum efficiēti, ita vt quicquid efficiens agit, per hoc & cū hoc instrumento, quod illi sit vnitū, agat, vt patet de fabro & malleo.

*Responsio Pappi.*

**V**ERVM hoc est. Sed S. Scriptura nos docet humanitatem eiusmodi esse instrumentum filij Dei, quod ei personaliter semper sit vnitum. Ergo est manifesta similitudo.

*Apologia Beza.*

**Q**VONIAM Brentiani hypostaticam vnionem eo cœperunt definire, quòd Deitas agat omnia in Christo per humanitatem, obieci illis quod dissoluere nunquam poterunt, absurdissimum hunc esse paralogismum à nō causa, quod aiunt in scholis, ad causam. quoniam instrumentalis causa sit plerunque extranea, quod familiari ex-

plo



plo declarauit. Tu respondes magnam esse dissimilitudinem, quod ipsum dictum volui, vt eos redarguerem, quibus patrocinaris. Cogita, quæso, an hoc sit proferre quippiã, quod me erroris coarguat: quod sanè si faceres, ita me bene Deus amet, vt me tibi adstipulatorem haberes. Deinde si eorum dogma probas, qui Deitatem scribunt non aliter in Christo secundum substantiam vnitam, quàm in rebus creatis omnibus, considera, quæso, mi Pappe, annon tute tibi ipsi repugnes.

*Octauum Argumentum Beza.*

**P**RÆTEREA Deus pater creauit omnia per filium, & tamē Pater & Filius non sunt vniti hypostaticè. Sunt enim diuersæ hypostases.

*Responsio Pappi.*

**N**IL ad rem, quia scriptura nos docet vnionem esse personalem naturarum in Christo, quæ tam est acta, vt neutra aliquid agere possit extra consortiũ alterius, vt supra dictum est.

d. iij.



**I**Mò rursus nihil minus appositè respondere potuisti. Etenim si quempiam agere omnia per alium est hypostaticę vnionis defunctio vt ij volūt quorū sententiā tuendam suscepisti, ostendas oportet quānam non sint Pater, Filius & Sp. sanctus vnica hypostasis, aut negandum antecedens (quod non possis nec nolis, opinor) aut cedendum est veritati.

*Nonum Argumentum Beza.*

**C**OMMUNICATIO idiomatum id est, prædicatio, qua vnus naturæ proprietas tribuitur alteri naturæ in concreto, respectu personæ Christi realis est, respectu naturarum verò verbalis tantum.

*Responsio Pappi.*

**F**ALSVM hoc esse demonstrant nostrorū hac de re edita scripta, præfertim verò D. Lutheri & Brentij & Schekij. Nam quum humana natura sit à Deitate assumpta in personæ vnitatē ita vt ipsius non sit alia substantia quàm filij Dei: sequitur necessariò, quum filij Dei  $\upsilon\pi\acute{o}\varsigma\alpha\sigma\iota\varsigma$  sit ipsi hoc, quo diximus, modo



modo communicata, vt eadem ratione Deitatis Christi proprietates ei verè & realiter communicatæ sint. Siquidē filii Dei proprietates nihil aliud sunt, quàm ipse filius Dei. Communicatio igitur idiomatum realis est & vera, non verbalis. Nam quod metunt, ne naturę confundantur, frustra sunt solliciti. Dicemus enim alia ratione has proprietates Deitati competere, videlicet per naturam (vt loquuntur) alia verò ratione (verè tamen & realiter) humanitati, videlicet per gratiam, & propterea quòd assumpta est à Deitate in vnitatem personæ. quæ omnia millies à nostris ex Dei verbo perspicuè declarata sunt. Longè verò alia ratio est proprietatum humanitatis, si ea diuinitati in concreto tribuantur, quia diuinitati ab humanitate nihil communicari potest. Nam Deo nihil quicquam accedere vel decedere potest, quum sit perfectissimus. Humanitati autem à Deitate non tantum subsistentia, sed etiam summa maiestas communicatur. Manifestum ergo est diuersam esse rationem prædicationis & communicationis idiomatum.

d.iiij.



**H**ic ille est scōpulus in quo te-  
 ipsum spero, vbi rem totam dili-  
 gētius & absque prāiudicio inspexeris,  
 falsurum opinor eos ipsos, quos com-  
 memoras, impingere, qua de re millies  
 ipsis respondimus. Si Cōmunicationis  
 vocabulo intelligitis ipsam naturarū  
 vnionem, quum ea talis sit vt proprie-  
 tates singularum essentiales non egre-  
 diantur sua subiecta ( quod vester quo-  
 que Kemnitius ingenuē fateatur ) non  
 potes vllō modo vel Deitatis proprie-  
 tates humanitati, vel humanitatis Dei-  
 tati aliter attribuere quā *κατ' ἀλλο*:  
 non igitur realiter, nisi personæ siue to-  
 tius ex duabus naturis compositi re spe-  
 ctu, quarum tamen alteri duntaxat na-  
 turæ re ipsa insint. Sin verò Communi-  
 cationis nomine ( quod facere te appa-  
 ret ) nō vnionis gratiam intelligis, sed  
 id quod ex ea vnione consequuta est  
 in sese humanitas ( quam gratiam dixi-  
 mus in scholis habitualement idcirco vo-  
 cari & ab illa distingui ) primū distin-  
 guēda fuit homonymia ex disputatio-  
 nis legibus, ne de vno rogatus de alte-  
 ro responderes. Deinde tibi proban-  
 dum



dum esset, quod est prorsus *ἀδύνατον*, naturam aliquam posse ex gratia reipsa donari essentialibus alterius proprietatibus, id est, humanitatem posse per gratiā euadere Deitatem siue Deitatem aliquam existere posse precariam. Stat enim istud, sicut accidentalibus bonitas, misericordia, charitas ab essentialibus in res creatas promanat, sic etiam infinitatem, omnipotentiam, omniscientiā, omnipræsentiam aliquam non posse alij villo modo naturæ, quàm ipsimet Deitati inesse, quem scopulum vt vitaret Kemnitius pro effusione reali *ὑπερβολή* substituit, immemor illam ab vnione dependere, quæ proprietates in suis subiectis retineat, ac proinde enumerationes inde profectas solis concretis conuenire, qua de re alius erit, vt spero, dicendi locus. Nam cum ais aliter communicari Deitatis proprietates humanitati, quàm humanitatis Deitati, verum esse non potest, si ad gratiam vnionis referas. Est enim eadem prorsus vnione hypostatica Verbum Homo, qua Homo Verbum, & qua ratione filius Dei fuit crucifixus, Filius hominis erat etiam in cælo, quum esset



in terris, nempe *κατ' ἄλλο*, non in sese, quamuis dignior sit natura assumens, quàm assumpta. Sin verò ad vnionis effecta referas (vt tu sanè facis) concedimus tibi non fuisse Deitatem ab humanitate affectam, sed humanitatē innarrabiliter ab vnito sibi verbo supra res omnes creatas euectam, sic tamen vt infra illam semper subsidat. Quamuis enim effecta communicabiliū Deitatis attributorū habeat omnia & quidem summè per gratiam quę sunt Deitatis per naturā: tamen ea, quę sunt vni & soli naturę infinitę per se propria, certum est tam esse *ἀκωινώτητα*, quàm verum est non posse plures esse reipsa infinitates, & Deitatis (vt ita loquar) subiectum nunquam egredi.

*Decimum Argumentum Beza.*

**C**ONTROVERSIA de Cœna Domini in eo consistit, quomodo signa, id est, panis & vinum, & res signatę, id est, corpus & sanguis Domini coniungatur: in reliquis enim cōuenire oīb. inter se & nos. Dicit Dominus Beza coniungi hæc sacramentaliter: Lutheranos autem dicere, quòd coniun-



coniungatur corporaliter, essentialiter,  
& realiter.

*Responsio Pappi.*

**N**os non minùs dicimus coniun-  
ctionem esse sacramentalē, quàm  
ipsi. Verùm hoc interest, quòd ipsi suā  
sacramentalem explicant per spiritua-  
lem, & putant corpus & sanguinem  
Christi non verè & realiter esse in Cœ-  
na, sed quatenus fide percipiatur.

*Apologia Beza.*

**S**i putas, Pappe, nos sic de rei sa-  
cramentalis, id est, ipsius corporis  
& sanguinis sacramentali præsencia  
statuere, ut si fide percipiatur, adsit, sin  
minùs absit, quasi videlicet Sacramenti  
veritas à fide accedentium promanet,  
sicut etiā Sorbonicus Theologus Spen-  
sa nos est calumniatus, iniuriam nobis  
facis. Scito igitur nunquam nos esse in-  
ficiatos Christum in cœna: tã verè sese,  
quàm ipsa symbola quibusvis sacramē-  
taliter, id est, sacris visibilibusque si-  
gnis ac ritibus adhibitis offerre, sed di-  
uerso modo, signa videlicet corporalia  
corpori corporali modo, rem autem  
cælestem menti, spirituali, & intelle-



ctuali modo : & illa quidem situ ipso loci præsentia, Christi verò corpus & sanguinem ita situ loci absentia, vt intellectui tamen verè per fidem percipienda proponantur: ex quo consequitur spirituales quoque siue mysticas esse, & *ἡ σχέσις* intelligendam sacramentalem signorum & rerum coniunctionem.

*Adiicit Pappus.*

**N**O s verò dicimus, quum Christus etiam secundum humanitatem suam necessariò vbique sit ( propterea quòd videlicet in vnitatem personæ cum filio Dei assumpta est ipsius humanitas) tamen in Cœna sua alio modo corpore & sanguine suo præsentem esse, quàm adest aliis rebus omnibus, videlicet sacramentaliter, verè tamen & realiter.

*Respondet Beza.*

**I**M ò quum hypostatica vnio eo differat à commixtione, quòd proprietates naturarum essentielles sua subiecta nullo modo egrediantur, sed hoc consequatur duntaxat, vt assumpta natura fiat assumentis propria in vnū *ὑπὸ τῷ ἀμείνονι* coalescens, tantum abest vt propte-



propterea sit vbique humanitas, quia est assumpta à Verbo, vt contrà idcirco absit, quoniam saluis suis proprietatibus est assumpta. Deinde vide, quæso, quânam ista cohæreant. Vis humanitatem adesse vbique propter hypostaticam vnionem, & tamē alio modo in Cœna adesse. Atqui si propter hypostaticam vnionem est vbique, est quoq. in Cœna hac ipsa ratione: vel vbiquitatem istâ consequetur vbiquitatem non esse, si tot loca excipias in quibus Cœna celebratur. Itaque vt sibi constaret ista tua responsio, dicendum fuit, ni fallor, non ALIO MODO, sed ALIO ETIAM MODO, vt duplex sit realis præsentia corporis in Cœna fundamentum, hypostatica videlicet vnio, & sacramentalis institutio. Sed quorsû hanc, si quidem illa sufficiebat? nempe inquires, vt sacramentalis sit, id est (vt opinor) vt adiunctis symbolis fanciatur. Hoc autem si verè dicis, iam non aderit corpus, quia dixerit Christus, Hoc est corpus meum, sed id tantû dictum fuerit propter adiunctum panem. Quorsum igitur, quæso, illa verba quum libuit perinde aduersum nos



detonatis, quasi verbo Dei fidem derogemus, & testamentum Filij Dei irritum faciamus? Num enim signa Cœnæ Domini adhiberi ex mandato Dei vnquam sumus inficiati? Verùm quomodo hîc transiges cum vestræ alioqui corporalis præsentiæ præcipuis defensoribus? Nec enim illos ignoras docere ab vnis verbis Institutionis Cœnæ petendam esse huius controuersię disceptationem, quorum non est necesse locos citare. Quòd autem SACRAMENTALITER non vis opponi τῶς VERE REALITER, in eo tibi assentimur, modò realitatem nullam ponas quæ carnis circumscriptionem proprietatem tollat, neque duas oppositas qualitates eidem substantiæ, Circumscriptionē videlicet & Incircumscriptionem tribuat, quæ repugnantia certè non tollitur, etiam si Circumscriptionem tribuas naturæ, Incircumscriptionem verò gratiæ.

*Addit Pappus.*

**Q**UVMQVE illi negarent id fieri posse, vt videlicet corpus Christi simul & semel multis in locis esset, introducta



troducta est disputatio de vnione duarum naturarum in Christo, qua demonstratur non modò id fieri posse, sed omnino necessum esse, vt propter personalem vnionem vbicunque est Deitas Christi, ibi etiam sit ipsius humanitas: alioquin enim fore, vt duæ sint personæ Christi: vel vna, quæ sola sit diuinitas & vbique: & altera quæ sit Deus & Homo, quæ certo cœli loco confideat: vel sequitur humanitatem non assumptâ esse in totam Deitatem, sed tantum in aliquam eius partem.

*Respondet Beza.*

**V**ERVM est profectò quod dicis, obiecto nobis argumento de veri corporis quantumuis glorificati circumscriptione, Lutherum primùm cœpisse de ista vbiquistica præsentia non nihil differere, sed ita vt ex abundanti hoc faceret, & hanc quæstionem facessere iuberet. Sed Brentius illo scilicet oculatior, id vnum cœpit vrgere, & cælos ipsos potius vt & inferos vbique constituere, & articulos incarnationis, ascensionis & sessionis ad dexteram Patris potius ad vnâ & eandem rem re-



uocare, quàm veritati cedere. Sed & Iacobus Andreas in responsione ad Sperlingum: *Nox erubescō, inquit, palam fateri si ea est natura humana proprietas, ut non nisi in vno aliquo loco esse possit, neque à diuina natura ipsi communicari vllō modo possit, quo & ipsa cum dōyā in pluribus aut omnibus locis esse queat: me pro asserenda vera corporis & sanguinis Christi p̄sentia in Cœna, ne ad momentum quidē pugnaturū. Si enim simpliciter id esse impossibile fatear, qua ratione id fieri posse ex verbis Cœnæ demonstrare conarer? Verba enim Cœnæ Dominica (ut idem ait & in thesib⁹ & cōtra Heydelbergēses) tantū sunt verba dispensationis corporis & sanguinis Christi iam ante & ex alia causa, communicata videlicet proprietatis per vnionem, essentialiter in pane & vino, sicut in alia quauis creatura, presentis. At contrā Kemnitius, Quoniam, inquit, de generali illa corporis Christi vbiuitate & p̄sentia in omnibus creaturis ne inter veteres quidem satis constat, nec ipsorum sententiæ & testimonia consentiunt, ideo illā in medio relinquitur. Abundet quisque in suo sensu. Et Heshulius in libro de Cœna. Quum natura in Christo*

Christi  
humana  
dicimur  
pidibus  
dens a  
in Christo  
Christi  
à Patre  
videlicet  
est, diu  
nem d  
terius  
concre  
admo  
Palm  
doctr  
bus fa  
pertē  
factam  
instit  
Nam e  
scribat  
lacticis  
Thoma  
3. art.  
corpus,  
vntum  
Vides



*Christo maneant distincta, non dicimus humanam naturam Christi esse ubique, non dicimus corpus Christi esse in ligno, in lapidibus, in frugibus. Item, Ut maneat evidens discrimen humanae naturae & divinae in Christo, non dicimus ubique esse corpus Christi, sed recipimus modum loquendi à Patribus traditum, Christus est ubique, videlicet communicatione idiomatum, id est, diuinitas est ubique & propter unionem duarum naturarum hypostaticam, alterius naturae proprietas Toti personae in concreto tribuitur. Quid verò? nuper admodum ille Hamburgensis aduersus Palmerium scribens, & noui corporis doctrinae à certis Theologis nescio quibus fabricati propugnator, an non aperte vbiquitatis mentionem παραπομπῆς factam à D. Luthero dicit & ad vna institutionis Cœnae verba nos reuocat? Nam etiā tot iam antè seculis, quicquid scribat Kemnitius, explosa fuit à Scholasticis ipsis vbiquitas, teste his verbis Thoma lib. 1. sentent. dist. 37. quæst. 3. art. Corpus Christi neque in quantum corpus, neque in quantum est diuinitati unitum, hoc habet ut sit pluribus locis. Vides igitur quàm multos ex tuis ipsis*



habeas tuo isti argumento repugnantes, in quo certè miror potuisse abs te colligi, *separatum iri naturas, si ubique adest Deitas* (adest autem ubique) *non adsit etiam humanitas*. Nam, quæso, etiam si caput non est ubi sunt pedes, num idcirco caput à pedibus est separatum? an idcirco radij à solis corpore seiuncti quòd hi terram contingant, illius corpus tam procul in cœlis absit? Nunquam igitur seiuncta est Deitas, quæ ubique est, ab humanitate finita, quæ in cælis nunc est, & alibi nusquam. Neque idcirco non subsistit in toto Verbo humanitas assumpta, quòd finita quum sit, infinitæ assumentis nō coextendatur. Rectè quippe Augustinus ait, non esse necessarium, ut quod in Deo est sit ubique sicut Deus, quem locū frustra conatur Iacobus Andreas eludere, quasi particula SICUT, non identitatem, sed paritatem duntaxat declaret.

*Vndecimum Argumentum Beza.*

**O**BIICIT Beza sententiam nostram pugnare cum ipsa rei siue corporis natura, cum analogia fidei & cum



cum sacramentorū natura. Nam quod ad corporis naturam attinet, Christus (inquit) habet verum corpus. Ergo illud visibile, palpabile & in certo loco: & per consequens non potest esse in pluribus locis, vbi Cœna administratur, vel si maximè ibi esset, saltem videri, palpari & sentiri posset.

*Responsio Pappi.*

**P** RIMUM Visibile, Palpabile & Sē-  
sibile esse non sunt propria corporis, quatenus corpus, sed quatenus coloratum est, vel aliis qualitatibus imbutum: quibus omnibus corpus Christi gloriosum caret, & nostra quoque corpora post resurrectionē carebūt. Quod autem Christus post resurrectionem discipulis se conspiciendū præbuit & tangendum, non eò sequitur corpora glorificata *αιδνητά* siue sēsibilia esse, quia Christus illam infirmitatem ad tempus assumere voluit, vt subueniret discipulorum incredulitati, & demonstraret se verè ex morte surrexisse. Interim illud quoque meminisse oportet quod paulò antè dictum est, sacramentalem & non physicam nos præsentiam introducere.

e.ij.



**I**Mò si credis Aristoteli testi in his  
 liquidē reb. maximē idoneo, *σῶμα ἐστὶ  
 πᾶν ὁτιδήποτε* : & rectē, sicut ait poēta quā-  
 uis alioqui impius. Tangere enī & tāgi,  
 nisi corpus, nulla potest res. Quòd si est  
*ἀπὸ τοῦ*, necesse est quoque esse coloratū,  
 ac proinde visibile in sese. Omnia igitur  
 ista mutuò se consequuntur in corpore  
 verē humano & physico, quale fuit, est  
 & erit in æternum Christi corpus. Alio-  
 qui non esset firmum nec solidū Christi  
 argumentum, Videte & palpate. Spiri-  
 tus carnem & ossa non habēt: neque in-  
 de coargui Marcionitæ possēt. Et quod  
 dicere audes corpora nostra corporeis  
 omnibus istis qualitatibus post resurre-  
 ctionem caritura, vnde tandem hausi-  
 sti? Non ignoras enim hoc fuisse Orige-  
 nistarum dogma, quòd spiritualia & æ-  
 therea post resurrectionem nostra futu-  
 ra sint corpora, quæ nec tactui subiace-  
 ant, nec oculis cernantur, nec pondere  
 prægrauentur, nec pro locorum, in qui-  
 bus futura sint, varietate mutantur. Et  
 quū Origenistis obiiceretur illud Chri-  
 sti, quod modo citavi, illud ipsum res-  
 pondebant quod reperis, & quod refu-

tans



tans Hieronymus aduersus Iohannem Hierosolymitanum, quid responderit nosse te arbitror, & quid hac ipsa de re plurimis locis disseruerit Augustin<sup>9</sup>. Ac Brentius quidem vester, fateor, respondet se minimè negare ipsius naturalis substantiæ resurrectionem. Verùm, quæ est hæc substantia, cuius qualitates essentielles resurrectio nō perficiat, sed aboleat? *Christus*, ais, *hanc infirmitatem*, qua videlicet visibilem & palpabilem se conspiciendum præbuit, *discipulorum causa assumpsit, ut fidem resurrectioni suæ faceret*. Sanè quòd quadraginta dies adhuc viuere cum discipulis sustinuit, quòd cum ipsis comedit qui cibo amplius non egebat, & si quid simile in historia resurrectionis narratur, id illum *καταβασιν* fecisse non ambigo. Verùm quòd visibilis & palpabilis fuerit, eodem non tantùm quod ad materiam, sed etiam quod ad veras & formales corporis proprietates, corpore præditus, absit vt tibi concedam Infirmitati tribuendum, quum è contrario vna quæque substantia suis specialibus proprietatibus perficiatur, quas gloria nō destruit,  
c.ii].



sed illustrat. Si hæc tibi non satisfaciunt, saltem illud considera, quàm sit absurdum, existimare Christo in illo suo illustri aduentu istam, quam vocatis, infirmitatem, qua vultis illum statim à resurrectione caruisse, resumpturum, vt absoluto demum iudicio rursus eam deponat. Nec enim negabis hunc illum visibili specie venturum sicut ascendit, quia Angelorum testimonio alioqui refelleremini. Itaque si vobis credimus, qui nunc est inuisibilis, fiet rursus vltimo illo die visibilis, idque in gloria sua, & quidem vt nobis etiam factis à resurrectione inuisibilibus occurrat. Denique quòd sacramentalem & physicam præsentiam inter se opponis, si ad rem ipsam significatam simul & intellectui verè oblatam refers, tecum probamus, fatètes cum Apostolo Eph. 5. quod ibi agit in nobis Dominus, omnem naturalis intellectus facultatem longè latèque superare. Sin verò realem eo ipso corporis præsentiam signis testatam sic intelligis, tum tibi assentiemur quum hyperphifica & antiphifica vnum & idem esse nobis demonstraris.

*Addit*



*Addit Pappus.*

**S**ED, inquires, saltem proprium corporis est, ut sit quantitate præditum & finitum. Verum hoc est, ideoq; non dicimus Christi corpus extensum vel diffusum esse in infinitam molem. Imò dicimus iam postquam in cælum ascendit, non alia ratione esse ubique quàm erat, quum in terris ambularet aut in ipso puncto conceptionis in utero Mariæ virginis: & ut istud plenius explicem, dicimus Christum secundū humanitatem esse omnipotentem & omnipræsentem &c. non ratione corporis gloriosi, sed propter unionem personalem. Nec est, quòd dicant se nihil detrahère maiestati humanitatis Christi, quum ipsam subiiciunt naturæ legibus, quia Christus etiam assumpserit formam serui, & omnes humanas infirmitates excepto peccato, quod tamen non deroget ipsius humanitati. Ergo multò minus ipsi derogare, si ei attribuantur proprietates humani corporis. Respondemus enim Christum quum in statu humilitatis, ut loquuntur, & in forma, ut Apostolus ait, ferui in terris ambularet, non minùs fuisse

e.iiiij.



omnipotentem & omnipresentē quàm nunc. Imò in ipso puncto conceptionis hāc ei maiestatem personalis vnionis tributam esse, quàm tamen non sepeper exeruit, sed tum solū, quum ei visum fuit.

*Apologia Beza.*

**I**Mò non arbitror hoc esse appositum responsum. Nec enim quaeritur an alio modo nunc sit vbique Christi humanitas, quàm quum adhuc in terris ambularet: sed hoc probatum volui, neque olim quum in terris esset, vbique fuisse, neque nunc quum in caelis est, vbique esse, quoniam videlicet & tunc erat & nunc est organico verè humano circumscripto corpore præditus Christus. Istud denique nihil ad rem, eo vno excepto, quòd omnino sit *ἀόυσαιον*, verum organicum corpus esse vbique, & tamen in sua definita mole permanere, quum vni eisdemque naturæ non possint repugnantiæ tribui, teste in hac ipsa disceptatione, Theodoretò, Vigilio, Augustino, ipso denique Christo ex corporeæ substantiæ proprietatibus, corporis veritatem



tatem adstruente. Quod autem addis  
humanitatem Christi esse omnipoten-  
tem & omnipræsente, non ratione cor-  
poris gloriosi, sed propter vnionē per-  
sonalem, quinam tandem cum defini-  
tione vnionis personalis consentiet, in  
qua disertè exprimitur, proprietates  
cuiusque naturæ essentiales saluas per-  
manere? nempe si dixeris omnipoten-  
tiam istam & omnipræsentiā esse  
aliquid nō inhærens humanitati vt sub-  
iecto, sed Deitati proprium, quod ta-  
men tribuatur humanitati, vt in ipsa  
Deitate subsistit. Et certè nisi ita es-  
se statuatis, consequetur duas esse om-  
nipotentias & omnipræsentiā, vnā  
videlicet essentialem Deitatis, alterā  
accidentalem, siue, vt ludens Iacobus  
Andreas scribit, quasi accidentalem,  
humanitati insitas. Præterea ( vt mo-  
dò dixi ) duas reales repugnantes pro-  
prietates vni & eidem subiecto eodem  
tempore attribueres, quod falsissimum  
& absurdissimum esse non ignoras. Sed  
illud rursus vide quā parum cum  
Brentij & Andreæ placitis cohæreat,  
quibus tamē velle te patrocinari video.  
Definiūt enim illi hypostaticā vnio-



nem reali omnium Deitatis assumentis proprietatum in humanitatem assurptam effusione. Quinam ergo humanitas non fuerit effusarum in sese proprietatum receptaculum? Deinde iidem nolunt Deitatem aliter esse humanitati Christi quam ceteris sanctis personaliter unitam, eo vnico excepto, quod in sanctis demensæ, Christi verò humanitati omnes Deitatis proprietates sint effusæ. Constat autem dona in sanctos effusa, esse qualitates illis tanquam subiecto hærentes. Itaque quum præceptorum tuorum sententiam stabilire velle videaris, illam tamen eueritis, aut illi potiùs sese tecum destruunt. Video enim illos hæc eadem prorsus *ἀποστα* scriptitare. Sed, age, demus ita hoc esse, vt tu nunc vis: sitque & semper fuerit post vnionem omnipotēs & omnipræsēs humanitas Christi, non sua, sed hypostaticè assumpti Verbi omnipotētia & omnipræsencia: quinam rursus à Iacobo Andrea non dissenseris, qui ne videatur secundarianam quandam Deitatem comminisci, respondere solet humanitatem Christi esse quidem vbique, sed non eo modo,

quo



quo ipsa Deitas ubiq. sit? Etenim si humanitas est omnipræsens per Deitatis omnipræsentiā: est certè omnipræsēs ea ipsa omnipræsētia, qua Deitas est omnipræsens, quanuis hoc illi per vnionem personalem accidat non ex natura sed ex gratia. Imò quānam rursus à seipsis non dissenserint Brentius & Iacobus Andreas, vt qui disertis verbis testentur se per Deitatem Christi nullam essentialē Deitatem, sed dona in carnē ipsam effusa intelligere? Prius ergo quomodo ista inter se consentanea sint demonstres oportet, quā responsum tuum admitti possit. Res autem ipsa sic sese habet. De toto quopiam ὁλως considerato rectè & verè dicitur, quod tamen non nisi parti Totius propriè conuenit: at de vna parte dici verè nō potest, neque quod est alterius partis, neque quod est Totius. Sic exempli gratia rectè dixeris Pappum (quod nomen est totius ὁλως considerati) loqui & scribere, & tamen solum os Pappi loquitur, sola manus scribit. At partem aliquam Pappi nominans, puta oculum vel pedem, oculum loqui aut pedem scribere non dixeris, siue sigillatim siue in vnico Pappi organico cor-



pore coniunctos illos consideraris. Sic  
 agedum, consideremus in Christi per-  
 sona Deitatem Verbi & humanitatē.  
 Rectē dixeris Iesum ( quod nomen est  
 totius personæ ) esse Iehouam, increa-  
 tum, infinitum, omnipotentem, om-  
 niscium, omnipræsentem, & quicquid  
 est Deitati essentiale, quæ tamen illi  
 toti non nisi Deitatis respectu con-  
 ueniunt: itēque Iesum esse conce-  
 ptum in Maria, natum, crucifixum,  
 mortuum, sepultum, à mortuis excita-  
 tum, & quicquid est humanitatis, quæ  
 tamen soli Deitati non humanitari  
 competant. Vides igitur de toto  
 Christo ὅλως considerato rectē dici,  
 quod tamen de Toto Christi, id est, de  
 singulis eius naturis falsum & impium  
 fuerit affirmare, nempe vel Deitatem  
 esse conceptam, mortuam, crucifixā,  
 &c. vel humanitatem esse Iehouam, &  
 increatum, aut infinitum quidpiam,  
 quantumcunque istas duas naturas in  
 vno Christo vnitas esse fatearis. Ratio  
 autem cur hoc ita sit duplex est, vna  
 quoniam abstracta nomina Deitatis  
 aut humanitatis nunquam naturas nisi  
 distinctē & quales sunt in sese declarāt,  
 ideoq.



ideoq. nullus hic locus distinctioni inter *καὶ εἰς αὐτὸ & καὶ ἄλλο*: altera, quoniam vnio naturarum hypostatica suas cuique illarum essentielles proprietates relinquit illibatas, ac proinde efficere non potest vt vel Deitati humana, vel humanitati diuina citra impietate Eutychianam tribuantur. Aut igitur nobis ostende, Pappe, vbique siue Infinitum esse (hæc enim necessario cohærent) vni solique Deitati non esse propriè & essentialiter & prorsus incômunicabiliter proprium: aut illud nobiscû fatere humanitati quantumuis personaliter cum Deitate vnitæ attribui citra Eutychianismum manifestum non posse. Nam quòd & Deo Verbo humana & Filio hominis diuina tribuuntur, vt si Deum quidem gloriæ crucifixum vel passum, Filium autem hominis æternum, omnipotentem, omnipræsentem dicas, (quæ omnia propter vnitatem personæ contra Nestorium verè & orthodoxè affirmantur) longè ab illis superioribus diuersum est: quod vtinam tandem aliquando placidè nobiscum agnoscatis, quum ad omnes istas controuersias tollendas & reddend-



dam Ecclesiis pacem hæc vna expedita sit ratio relicta. Itaque significari totam Christi personam non tantum ex toti personæ communibus, sed etiam ex vtrius perfectæ naturæ propriis nominibus concretis, puta Dei, Verbi, Filij, Hominis (Christus enim ex perfectis duabus naturis in vnica subsistentia constat), tum ipse scripturæ vsus ostendit, tum ipsa ratio postulat ad vnitatē personæ demonstrandam, vt est rectè in veteribus synodis aduersus Nestorianam blasphemiam definitum. Iam verò quum in vnione naturarum hypostatica ex qua pendet totius Christi personæ vnitas, proprietates essentielles subiecta neutrius naturæ egrediantur, vides necessariò consequi Deo siue Verbo tribui humana, itēque Filio hominis diuina, non quidem καὶ ἄλλον (est enim Nestorianismus Alium & Alium ponere in Christo) neque καὶ τὸ αὐτὸ (est enim Eutychianismus essentielles proprietates naturarū transfundere) sed καὶ ἄλλο, id est, Deo quidem humana quatenus homo est, Filio autem hominis diuina quatenus Deus est. Itaque tam sunt falsæ istæ

Nesto-



Nestorianæ enuntiationes, *Deus Verbum non est natus ex virgine neque crucifixus neque mortuus: & Filius hominis non est æternus, omnipotens, omnipræsens*, quibus videlicet persona diuiditur: quàm istæ quoque Eutychianæ, *Deus Verbum est conceptus, natus, crucifixus, mortuus secundum Deitatem: & Filius hominis est æternus, omnipotens, omnipræsens secundum humanitatem*, quibus essentialis proprietates transfunduntur. Istæ verò demum sunt Christianæ & orthodoxæ propter vnitatem personæ ex hypostatica vnione resultantem, *Deus Verbum est conceptus, natus, crucifixus, mortuus, &c.* sed secundum humanitatem, siue in carne, vt loquitur Petrus, siue quatenus homo est: & *Filius hominis est non tantum omnipotens, omnipræsens, sed etiam æternus ille Iehoua, eratque in cælis quum esset in terris, estque nunc quoque in terris, quando sit in cælis.* sed secundum Deitatem, siue quatenus Deus est, quibus enuntiationibus & vnitas personæ demonstratur, & vnio hypostatica citra confusionem proprietatum statuitur. Inde verò & illud necessariò consequitur,



verum quidem esse diuidi Christum nisi ubique est Verbum, dicatur etiam esse Filius hominis, quum Christus sit vnica persona Deus homo: at non ite, si dicatur non adesse humanitas ubique est Deitas. Nam Filius quidem hominis est Deus, quanuis non suiipsi, sed Verbi respectu secum hypostaticè vniti, & Deus Verbum & est homo, non in sese, sed in assumpta natura: humanitas verò quantumlibet vnita, non est tamen facta Deitas, neque Deitas euasit humanitas, siue essentia siue essentialibus proprietatibus. Itaque iam constat tropum κοινωνίας ἰδιωματιῶν siue ἀλλοιώσεως intelligendum esse non de naturis ipsis, siue sigillatim siue coniunctim eas spectemus, sed de ipsa persona, non κατὰ μέρος sed ὅλως considerata, vt & scriptura loquitur & tota Ecclesia perpetuo consensu docuit. Itaque à seipso palàm dissentit Kemnitius, qui postquam rectè fassus est essentielles proprietates sua subiecta non egredi, & glorificato Christi corpori manere saluam organici corporis symmetriam, realem tamen naturarum *δε χρήσι* in abstractis, id est, in ipsis naturis stant

εἶναι

tuat: q  
non vbi  
quum  
ellet vt  
natura  
tur. Ita  
damen  
vnione  
& illam  
nimium  
que ext  
nuntia  
manita  
falsam  
χρήσι  
& ipsa  
in con  
Sed  
beo de  
pliciter  
tum fu  
Veteres  
de quic  
Dei ips  
mam s  
alij ver  
quæ D  
vt in fo



tuat: quæ quidem *ὑποστάσις* est tropi  
*κοινωνίας ἰδιωματέων* fundamentum, &  
 quum sit reciproca, statuenda quoque  
 esset vtrunque realis, quanuis assumens  
 natura in hypostatica vnione domine-  
 tur. Itaque si firmū esset Kemnitij fun-  
 damentum, vnionem habitualement cum  
 vnione ipsarum naturarū confundētis,  
 & illam, quod ad humanitatem attinet,  
 nimium largē, id est, ad infinitatem vs-  
 que extendentis, tam vera esset hæc e-  
 nuntiatio, *Deitas est passa*, quàm ista, *hu-*  
*manitas est omnipræsens*. Atqui vtrāque  
 falsam esse ostendimus ac proinde *ὑπο-*  
*στάσις* essentialium proprietatum, vt  
 & ipsarum naturarum de sola persona  
 in concretis necessariò intelligi.

Sed & in forma serui explicanda ha-  
 beo de quo tecum disceptem. Scio du-  
 pliciter illum Apostoli locum explica-  
 tum fuisse à recentioribus præsertim.  
 Veteres enim summo consensu, & re-  
 ctè quidem meo iudicio, per formam  
 Dei ipsam Verbi Deitatem, per for-  
 mam serui humanitatem intelligunt:  
 alij verò per formam Dei intelligunt ea  
 quæ Deitatem ipsam consequuntur,  
 vt *In forma Dei esse idem* declaret atque



ita se gerere vt Deitati conuenit, & *In forma serui esse* idem significet atque se-  
 se, dissimulata Deitatis maiestate ac po-  
 testate, ita vt seruum duntaxat præbe-  
 re. Vtraque interpretatio hypostaticā  
 vnionem essentialis tum Deitatis tum  
 Humanitatis confirmat: quoniam Deo  
 maiestate æqualis esse nō potest, nisi qui  
 essentialiter Deus est. Itaque inauditū  
 & intolerabile est Brentianorum dog-  
 ma, quo statuūt carnem assumptam esse  
 non *σεία*, sed *ἐξουσία* Deitati pa-  
 rem, qui error fuit Arrianæ hæreseos  
 fundamentum, donec *ἀνομιὰς* hæc ab-  
 surditas animaduersa in Ecclesiam in-  
 ueheret. Vos igitur omnium primi au-  
 ctore Brentio & ei⁹ adstipulatore Iaco-  
 bo Andrea ( Lutherus enim in maiori-  
 bus postillis eousque non progreditur,  
 sed in secunda, quam attulimus, inter-  
 pretatione subsistit ) tertiam interpre-  
 tationem excogitastis, qua tum Dei  
 tum serui formam Humanitati, idque  
 inaudita prius ratione, attribuibitis. Vul-  
 tis enim per hæc verba, *In forma Dei esse*,  
 omnia quæ sunt Deitatis per naturam  
 ( ac in primis omnipræsentiam siue V-  
 biquitatem ) effusa per gratiam in car-  
 nem

nema  
 carnis  
 nam I  
 dreas  
 illius  
 nem, q  
 supra  
 uerlus  
 id est;  
 fonte  
 todoci  
 Imper  
 pleniss  
 tium  
 comm

O B  
 d  
 corpus  
 ri id ne  
 liorum  
 Ad  
 dici app  
 nam in  
 glorifi  
 dum, &  
 dum er



nem assumptam, ab ipso conceptionis  
carnis momento, significari, quam v-  
nam Deitatem in Christo Iacobus An-  
dreas agnoscit: formam autem serui esse  
illius Maiestatici gradus dissimulatio-  
nem, quod Lutherus ipse eoloco, quem  
suprà citani, miris modis exagitat ad-  
uersus eos qui interpretantur *Nescit*,  
id est, *non vult scire*. Et certè ex hoc  
fonte orta est Marcionis & Aphthar-  
todocitarum hæresis, quæ Iustinianum  
Imperatorem perdidit, qua de re quū  
plenissimè in respõsione aduers<sup>o</sup> Bren-  
tium disputarim, plura hoc loco non  
commemorabo.

*Addit Pappus.*

**O**BIICIEBAT sibi Beza nostros  
dicere, quandoquidem Christus  
corpus haberet gloriosum, ideo vide-  
ri id non esse circumscriptum instar a-  
liorum corporum humanorum.

Ad hoc ita respondet. Primò id nõ  
dici appositè, quia quum Christus Cœ-  
nam instituebat, non fuit tum corpus  
glorificatum, imò iam iam crucifigen-  
dum, & probrosissima morte afficien-  
dum erat & huius etiam crucis & infir-  
f.ij.



mitatis pro nobis exantlatæ memoria nobis renouatur in Cœna Domini. Deinde respōdet gloriā non ademisse corpori Christi naturam, sed perfecisse infirmitatem, vt Augustinus loquitur.

*Responsio Pappi.*

**V**ERISSIMA hæc sunt: sed nihil contra nos, quia non dicimus vel Christum secundum humanitatem esse omnipræsentem propter glorificationem, vel corpus & sanguinem Christi in Cœna esse præsentia propter rationem corporis gloriosi. Sed dicimus omnipræsentem quidem esse semper & vbique propter vnionem personalem: in Cœna verò præsentem esse sacramentaliter (verè tamen & realiter) propterea quòd id ipse Christus nobis sit pollicitus, cuius verbis fidem habemus, de modo præsentia nihil solliciti.

*Apologia Beza.*

**Q**UOD corpora gloriosa fateris esse circumscripta, nisi ad ipsius Christi corpus referas, certè appositè non



non respondes. Corpus autem Christi post receptam gloriam quum fateris circumscriptum manere, primum omnium vide quid sis Andreæ Musculo responsurus. Sic enim scribit in suis de incarnatione thesibus, *Quia unus & idem Christus est, sicut secundum assumptam sic & secundum assumptam naturam nullis localitatis physica legibus est subiectus, nec locorum terminis circumscriptus.* Et ne respondeas Musculum hoc intelligere de Maiestatica omnipræsencia, quam à glorificatione distinguis, velim à te expendi quid de glorificatis corporibus disertè sentiat Iacobus Andreas. *Si Christum* (inquit contra Heydelbergenses) *consideramus secundum statum glorificati corporis, iuxta quem ei conformes siemus, hoc quidem impetrauit, quod nullo corporali loco sit circumscriptus: verum ob hanc causam nondum est ubique præsens, quemadmodum & nos una cum beatis Angelis non simus futuri ubique præsentes, & tamen corporaliter nullo loco erimus circumscripti.* Scio te responsurum prorsus inter vos conuenire, quoniam Iacobus Andreas corporalem, tu verò naturalem locum ex-  
f. iij.



cludis. Sed hoc nobis non satisfacit. Nam si verum & naturale corpus esse fateris quauis gloriosum ( fateberis autem nisi ( quod non arbitror ) velis corporis veritatem ac naturam glorificatione fuisse absumptā ) simul necesse est fatearis illud verè naturali & corporali loco contineri. Tuum autem NON VBI quid aliud est, quàm locus non locus? At Christus, Vado, inquit, vobis parare locum. Et, Volo vt vbi fuero, ibi sint. Et Cyrilli, Theodoret, Augustini, Vigilij, Damasceni tot citatos à nobis locos, disputationē Hieronymi hac ipsa de re aduersus Iohannem Origenistam, perpetuum denique Ecclesiæ aduersus Marcionitas, Eutychianos, Monothelitas, Monophysitas, Aphthartodocitas, testatum tot synodis confesum refellere te prius oportuerit, quàm istud NON VBI & locum veri corporis organici non corporalem nec naturalem probare possis: quamuis de futuri seculi cōditione nolimus extra Dei verbum quærere, nedum pronuntiare. Quòd autem hæc Christi verba cum Nicodemò in terra loquentis, *Filius hominis qui est in cælis,*  
de



de humanitate intelligis, haftenus in eo  
 tibi non assentimur, quòd quicquid de  
 Homine dicitur, putes de ipsa Humanita-  
 tate dici, immemor videlicet de Homi-  
 ne quoque propter vnitatem personæ  
 cōtra Nestorium dici etiam Deum nō  
 tamen Deitatem: eādē prorsus ratio-  
 ne, qua de Deo Verbo dicitur quoque  
 Homo, non tamen Humanitas, quod  
 Eutychetem fefellit, sicut in superioris  
 argumenti Apologia demonstraui. Est  
 enim *ὑποστάσις* reciproca, vt quauis  
 assumens natura dominetur, tamen nō  
 magis vniatur Deitas Humanitati,  
 quàm Humanitas Deitati. qua de re  
 vtinam absque prēiudicio legeris & ex-  
 penderis differentem Theodoretum,  
 eò magis idoneum veritatis testē, quòd  
 aliquando ista non intellexerit: Vigi-  
 lium ex professo istorum errorum op-  
 pugnatorem & martyrio nobilem, quē  
 olim Tubingæ Dormilium Iacobus  
 Andreas magno cum suo dedecore  
 nuncupabat: Cyrillum, Damascenum  
 denique, cuius totus tertius pene liber  
 orthodoxæ fidei in istis refutandis con-  
 sumitur, quæ vos affirmatis. Denique  
 quòd hanc omnipræsentiam dicis non  
 f.iiiij.



competere corpori Christi quatenus glorificatum est, sed propter vnionem personalem, quæ ab ipso momēto incarnationis cœperit, nō satis intelligo quomodo verè dicatur. Primū enim non ignoras in hoc ipso argumento quicunque aduersus Eutychemē disputarūt hoc sumere pro confesso, quod neutra natura possit repugnātes proprietates recipere. Itaque rectè fatemini, vt & Kemnitius, Humanitatem tum infirmitatis tempore fuisse, tum post glorificationem manere in sese circumscriptam, vt istam omnipræsentiam ei in sese siue, vt loquūtur, habitualiter tribuere nullo modo possitis, q̃ tamen vbiq. inculcare valde sanè rerum istarum imperitus Seleuercus non veretur, quid sit καὶ ἄλλα & καὶ ἄλλο prorsus ignorans, aut scire se dissimulans. Quid igitur, obsecro vos, ad stabiliendam omnipræsentiam vnio personalis iuuat? Nam si circumscriptionem non adimit Humanitati, quoniam saluas relinquit essentielles naturarum proprietates, certè omnipræsentiam in eam non effundit, quæ ex necessaria cōsecutione circūscriptioni repugnat. Superest igitur, vt dicatur Humanitas  
 omni-



omnipræsens κατ' ἄλλο, id est, Deitatis Verbi respectu, siue non in se, sed in ipsa Deitate, in qua subsistit. Sed hoc rursus non minus absurdum fuerit dicere, quàm si dicatur cuiuspiam corpus intelligentia præditum, non in se, sed in anima quicum est hypostaticè vnitum. Nam vt corpus & anima sunt duarum diuersæ naturæ, suisque proprietatibus re ipsa distinctarum rerum nomina, ita etiam (vt rectè inquit Damascenus lib. 3. cap. 4.) Deitatis & Humanitatis nomina, duas naturas repræsentant, ac proinde non nisi κατ' αὐτό, id est, quales sunt in semetipsis considerari possunt. At vocabulorum Dei & Hominis in Christo, ex duabus perfectis naturis subsistentis, alia ratio est, quàm Deitatis & Humanitatis. Dei enim & Hominis voces tum de ipsis naturis dicuntur (vt idem eodem loco docet Damascenus & sepe iā obseruauimus) tum propter personæ vnitatem, ipsam quoque totam hypostasim, quauis ex altera tantum natura denominatam, declarant. Itaque contra Nestoriū rectè dicimus de Christo, *Hic Deus noster in terra visibilis*



*conspēctus est, non secundum quod Deus est* (verba sunt Damasceni) *sed secundum quod ipse idem est homo: &, Homo iste est increatus, ἀνάρχος, impalpabilis & incircumscriptus*, utique, non secundum quod homo est, sed secundum quod idem ipse est Deus. At personalis vnio quum non efficiat, ut vna & eadē sit Deitas & Humanitas, sed tantum ut vnum & idem sit hypostaticē Deus & Homo, non vides, Pappē, *ὡς ἐκ φύσεως* non esse naturarum, sed personarum, ac proinde nec *καὶ τὸ ἐκ τῶ* neque *καὶ τὸ ἀλλο* posse vel humana de Deitate, vel diuina de Humanitate in abstracto predicari, quin pro vnione confusionem adstruamus?

Denique quod ad sacramentalē præsentiā attinet, apertē definire te oportuit an hunc modum facias à superioribus tribus diuersum. Tres enim cum Kemnitio modos præsentiæ vnico corpori Christi attribuisti. Vnum, quem per serui formam intelligitis, quo fuerit circumscriptum localiter in terris, id (ut vos vultis) per infirmitatem: alterum quo sit in cælis circumscriptum simul & glorificatum: tertium denique quo



quo sit ubique præsens propter personalem unionem. Pontificij transubstantiatores vestrum Omnimaesticū modum asseruerunt quidem reipsa, sed obrectum aliò quodam ineffabilis omnipotentiae diuinę inuolucro. Viderunt enim, & apertè falsi sunt, hoc dogma quod vos tuemini, consistere cum veritate carnis assumptæ non posse, nisi aliud refugium, quam unionem hypostaticam haberent. & ex veteribus synodis edocti, rectè κοινονίαν ἰδιωματικὴν intellexerunt in concreto tantum usurpari. At Lutherus omnium hominum primus (quod sine conuicio dictū velim) quum realem corporis Christi in terris præsentiam, id est, eundem prorsus errorem, qui in hunc scopulū pontificios impegit, substituta tantum Transubstantiationis loco Consubstantiatione, tuendum suscepisset, primū quidem ad Institutionis Coenæ verba refugit, sed ita vt in iis vllum esse tropū pernegaret. Deinde verò quum illi obiceretur quod negari non potest, nullam esse alicuius dicti interpretationem admittendam, quæ cum confessis articulis fidei pugnaret, realem autem præ-



sentiam Christi, quæ ex illa ipsius expositione necessario consequeretur, tum veritati carnis Christi circumscriptioni, tum eiusdem in celos ascensioni, & eiusdem ex cælis aduentui ex diametro repugnare, tunc pro eo quod cedere veritati oportuit & de sacramentali signorum & rei significatæ coniunctione aliter, quàm de reali eorundem perceptione statuere, contentionis studio, & peccatis nostris sic merentibus, errorem certè multiplicauit, cuius pœnam iam pridem luit Ecclesia. Hinc enim factum est, ut triplicem illud existendi modum vni & eidem corporis subiecto tribueret, eò tamē inclinās ut, omiſſa vbiquitatis quaestione, ab vnīs institutionis Cœnæ Domini verbis dogma realis illius realiter cum pane consubstantiatæ, & ore sumptæ atq; comestæ carnis præſentiæ niteretur. At contrā Brentius proram & puppim huius realis præſentiæ tum in Cœna tum in rebus omnibus esse vult omnipræſentiam ab incarnationis momento: clamat expressis verbis Iacobus Andreas, sese nisi istud statuatur ne tantillum quidē de verborum Cœnæ institutione cum Zuinglianis, quos

vocat

vocat.  
palam  
esse m  
poris c  
maiest  
creo; ne  
natura  
plicati  
fi Luth  
quartu  
sacram  
sumus,  
therus  
tissimē  
ficuti  
nimad  
sentia  
errorer  
sic dep  
sentiam  
hunc  
lem, im  
explica  
dum co  
audibil  
adhibet  
per fide



vocat, litigaturum: Andreas Musculus  
palam scribit ascensionem Christi non  
esse mutationem loci, sed tantum cor-  
poris disparitionem: Kemnitius omni-  
maiestaticum spectrum fulcit *θεωρη-  
σεως*, non ad hypostasim, sed ad mutuam  
naturarum realem commutationem ap-  
plicatione. Tu denique, ni fallor, qua-  
si Lutheri assentiens, ex Cœnæ verbis  
quartum præsentiæ genus statuis, quod  
sacramentale vocas, de cuius modo nō  
sumus, inquit, solliciti. Quasi verò Lu-  
therus in confessione non dicat apër-  
tissimè hunc modum esse definitivum,  
sicuti spiritus sunt in locis. Sed age, a-  
nimaduverteris illum de definitiuo præ-  
sentiæ modo manifestissimum Lutheri  
errorem: cur, obsecro, pro vbiquitate  
sic depugnas nisi vt realem hanc præ-  
sentiam stabilias? Imò verò quum  
hunc modum dicis esse sacramenta-  
lem, imprudens certè illum definis &  
explicas. Sacramentalē enim esse mo-  
dum constat quum id quod menti, tum  
audibili verbo, tum symbolis visibilibus  
adhibitis significatur, itidem quoque  
per fidem spiritualiter fruendum datur.



Itaque inanis est omnis ista de sacramentalis præsentiæ ineffabili modo, qui planus est ac perspicuus, disputatio, testante meritò Augustino non posse sacramenta stuporem habere vt mira, quum neque nouum, neque ( vt ita loquar ) miraculosum sit res aliquas visibiles ad significanda & obsignanda intellectualia in rebus etiam ciuilibus adhiberi. At si de ipsius in Cœna sacramentaliter significatæ rej perceptione disseratur, tunc sanè cum Apostolo exclamamus, Magnum esse hoc mysterium. Etsi enim ex verbo Dei edocti nouerimus quid ibi cum symbolis detur, nempe corpus & sanguis Domini: cui obiecto proponatur, nempe intellectui: quo instrumento recipiatur, nempe per fidem: in quem finem, nempe ad aternæ vitæ succum ex Christo mysticè nobis incorporato hauriendū: qua denique virtute peragatur, diuina videlicet ac planè spiritali: quo modo tamen diuina virtus id efficiat, non magis intelligere posse nos profitentur, quàm quānam eadem illa vis ex nihilo omnia condiderit. Hæc autem nostra quum palam & articulis fidei singulis

&amp;



& naturæ ac fini sacramentorum ad amissim respondeant, atque adeo Institutionis Cœnæ verbis nullam vim afferant ( siquidem sacramentalia sacramentaliter sic exponuntur) nunquàmne, mi Pappe, quò nos abriperit contentionis feruor, intelligemus? nunquã spiritum erroris nobis illudentem agnoscemus? nunquàmne depositis præiudiciis opus Domini tandiu, à quibus minimè oportuit, impeditum, cõmuni conatu prosequemur?

*Decimumtertium Argumentum*

*Beza.*

**F**IDEI analogia non patitur, ut dicamus Christi corpus simul & semel esse pluribus in locis, quia Christus ascendit in cælum verè & visibiliter, & inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Nemo autem venit in eũ locum vbi est.

*Responsio Pappi.*

**V**ERISSIMI sunt isti articuli fidei. Ut, ascensio Christi non fuit illusio. Ascendit enim visibiliter ut iam non amplius nobiscum sit visibili



ratione & modo, sicut erat cum discipulis, dum in terris ambularet. Sed interim nihil prohibet, quin Christus etiam secundum humanitatem personaliter sit vbique, quemadmodum supra demonstrauius. Et huc pertinet quod dicit ad discipulos: Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper. Manifestum enim est id de visibili & naturali praesentia intelligendum esse, alias falsum esset, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Nam pronomen Ego, non tantum Deitatem Christi denotat, sed totam eius personam, quae ex duabus naturis, diuina scilicet & humana constat.

*Apologia Bezae.*

**D**VPLEX fuit argumenti non nostra primum aetate propositi, sed ab omnibus eruditae vetustatis patribus & receptae orthodoxae sententiae interpretibus ad probandam carnis Christi veritatem vsurpati fundamentum, eius videlicet ascensio non praestigiosa, sed vera, realis, ac visibilis in superas regiones supra omnes caelos: & eiusdem ex iisdem locis visibilis futura, vobis



Vobis etiam confitentibus, reuersio. Tu tantum ad alterum, nempe ad prius, respondes. Hæres igitur adhuc in posteriore, & tibi fuerit explicandum, quomodo dicatur quispiam venire in eum locum, vbi iam antea reipsa existerat. Inuisibilem enim fieri ex visibili, & contra ex inuisibili visibilem; idem significare nequit, atq. Abire & Redire, ipsius rei modò visibilis, modò inuisibilis, sed eius potius, cui modò sit visibilis modò inuisibilis, respectu.. At certè neque ipsa historiæ narratio, neque vlla vllius scriptoris Christiani auctoritas, neque ipsa nostræ salutis ratio cum corporis Christi veritate cohærens pati potest, vt in aliquod spectaculum conuertatur eius Ascensio, quo scilicet testaretur Christus sese in posterum, quod ad humanitatem attinet, diuerso tamen modo nobiscum, nempe inuisibiliter, futurum. Rectè igitur sentis, quum fateris illusionem non fuisse: & tamen si non abiit, quum abire, si non ascendit, quum ascendere deducentibus eum vsque supra nubes spectantium oculis videretur, si denique (vt non puduit Andreæ Museulum scribere) ascensio Christi fuisse



tantum disparitio & euanescentia, quid totum istud aliud, quam mera illusio & prestigiatrix fallacia fuit? Imò ut inuisibile tunc factum demus Christi corpus, &, sicut scribit D. Lutherus, definitiuo, id est, peculiari spiritibus in loco existentiae modo esse inceperit, quid hoc ad realem praesentiam in pane, tunc instituta Cæna cum non modo visibilis esset, verum etiam summæ infirmitati proximus? Quod si ab ipso incarnationis momento inuisibilitatē illi adscribatis eadem illa ratione, qua omnipotentem illum esse dicitis: aut ego nihil prorsus video, aut fateamini necesse est, simul, iisdemque momentis corpus eius fuisse visibile & inuisibile; aut quod aspectabilem se præbuit, veras præstigias fuisse: & Christum discipulis illuisse, quum ex veri corporis organici proprietatibus etiam post resurrectionem, nempe quod reipsa tum cerneretur (quo etiam argumento utitur Iohannes Catholicæ epistolæ capite primo) veritatem sui corporis probaret: fuerintq; his argumentis frustra profectò oppugnati Marcionitæ, si vilo modo siue in sese, siue in alio propter vnio-



unionem personalem inuisibilis fuit eius humanitas. Imò inuisibilem esse, & quod ait rectè Kemnitius, eandem in cælis symmetriam corporeæ circumscrip-  
tæq; naturæ seruare, quânam inter se cohæreant? & rursus si visibilem & circumscriptum esse, est infirmitatis (quânam verò infirmitas fuerit, quod est ipsius naturæ essenziale?) & tamen circumscriptus est in cælis Christus propter veri corporis modum, (vt expressè tuetur Theodoretus, Cyrillus, Augustinus, Vigilus, tu ipse denique & Kemnitius affirmatis) fuerit nunc certè vno & eodem momento corpus Christi infirmum quidem in cælis apud Patrem in sua gloria, in terris verò potēs & amplius quàm gloriosum: & ita fiet vt, quâ sicut ascendit ita etiam ad orbem terrarum iudicandum sit venturus in maiestate summa, rursus factus in terra ex inuisibili visibilis suam scilicet infirmitatem repetat, idque vt in sempiternū infirmus cum infirmis, id est, visibilis cum visibilibus membris suis regnet: vel vt spectaculo iudicij peracto rursus inuisibilis cum inuisibilibus factis membris suis regnet, siquidem illud constat

g. ij.



oportere nostra corpora corpori Christi glorioso conformari. Atqui omnes ad vnum patres verbi diuini vestigia sequuti ex ascensione corporis Christi in cælos, atque adeò ex eiusdem in cælis, in quos ascendit ad dextram patris, collocatione, id est, ex eo quòd ex cælis potestatem à patre secundum humanitatem in omnes res subiectas acceptam exerceat, veritatem corporis circumscripti aduersus Marcionitas, & eiusdè à terris absentiam concludunt. Vos contra ex his ipsis vbiuitatem & inuisibilitatem eius adstruitis, vsque adeo vt Brètius apertè tum cælos tum inferos vbiq. statuatur, ne vbiuitate sua excidat. Locos autem aduersus hoc dogma & ex Dei verbo, & ex omnibus patribus citatos, itémque quos aduersum nos profertis nunc non attingam. Vnius tantum huius dicti Christi expositionem à vobis allatam mihi refellendam video. *Nam, inquis, pronomen EGO totam personam Christi denotat: ergo & humanitatem.* Quid igitur? putasne quicquid de tota Christi persona dicitur singulis eius naturis, siue seorsim siue coniunctim illas consideres, conuenire? Ergo si hoc  
verum



verum est, dicamus Christum quoque  
fuisse ante Abrahamum secundum hu-  
manitatem, quoniam dixit, Ante A-  
brahamum ego sum. Quid? cum dice-  
ret Christus, Glorifica me ea gloria,  
quā habui apud te priusquā hic mū-  
dus existeret, nōne idem pronomen  
priore quidem loco ad solam humani-  
tatem, posteriore verò ad Deitatem  
solam distinctè volip̄si refertis? Nec ta-  
men propterea diuiditur Christus cum  
Nestorio, sed naturarum proprietates  
aduersus Eutyhcn, sicuti par est, distin-  
guntur. Sit ergo sanè maneatque totus  
Christus, personaliter siue ὅλως, non  
μέρος consideratus, nobiscum ad con-  
summationem vsque seculi. Quid enim  
nobis Christus Deus prodesset, nisi ho-  
mo sit & maneat? Sed quis vobis con-  
cesserit quicquid personaliter, id est, de  
tota persona dicitur, etiā de Toto per-  
sonæ dici? Num, quæso, cuiuspiam ani-  
mam à corpore diuisero, si eius animam  
dixero esse in cerebro, ac proinde à pe-  
dibus situ abesse? Num corpus cuiuspiā  
in partes seco, si caput eius dixero ibi nō  
esse, vbi sunt pedes? Christi verò verba  
de sua apud nos perpetua permansione  
g. iij.



non ad humanitatem ipsam, sed ad Spiritus ipsius diuinam virtutem esse referenda, atque adeo patres omnes quasi coitione facta, quid patres? imò ipsum Apostolum Heb. 4. 1. & 4. ex ascensione & sessione ad dexteram patris in cælis, ab sentiam humanitatis Christi à terris necessaria demōstratione colligere, quū prolatis claris, planis, perspicuis testimoniis alibi toties sit à nostris demonstratum, quo spiritu suadente fieri dixerō, vt contrariæ sententiæ tuendæ studio ne nos quidem audire & placidè nobiscum conferre sustineatis? Putatis nimirum probè ad illa omnia semel esse responsum, si duplicem statuatis præsentiam, vnā circumscriptam & visibilem, alteram inuisibilem & incircumscriptam, quam Lutherus in confessione definitiuam, Brentius planè diuinā & omnimaestaticam facit. Verum quis vobis istam distinctionem in Ecclesia Dei omnibus seculis inauditam concesserit, ex qua præsertim tot erronea necessariò consequantur? Vere mini ne persona Christi diuidatur, nisi vbicunque est Deitas, statuatur etiā humanitas. Et tamē hoc ipsū palam fēire, dicere,



dicere, scribere Brentium & Iacobum Andream, eorūque fautores non animaduertitis, quum apertis verbis docēt Deitatem subsistentialiter omnibus rebus & personaliter omnibus sanctis unitam : nec Deitatem *ἑσώδη* sed tantum perfectè *ἑνερρητικῶς* esse in Christo spectandam? Frustra verò metui dissolutionem personæ, neque *ὑπερῶς* naturarum tolli, imò personalem vnionem tum verè retineri, quum proprietates naturarum essentielles distinguuntur abundè tum à veteribus omnibus tum à nostris demonstratum arbitror.

*Decimumquartum Argumentum*

*Beza.*

CONTRADICTIONIA sūt Finitum & Infinitum.

*Responsio Pappi.*

NON magis contradictoria sunt quàm vnā & eandem personam esse Deum & hominem, id est, creatorem & creaturam. Creatura siquidem finita est, creator verò infinitus, qui tamen est articulus fidei nobis propositus ad credendum, non autem vt ad humanæ rationis regulam eum examinemus, g.iiij.



ne, quum scrutamur maiestatem, opprimamur à gloria

*Apologia Beza.*

**I**Mò, quælo, vide num satis appositè respondeas. Nec enim simpliciter dixi repugnātia esse Finitum & Infinitum (quis enim id ignorat?) sed dixi quum hæc sint ita contradicentia, vt eidem subiecto tribui simul nō possint, de carne Christi dici verè non posse. At tu quod de carne, id est, assumpta natura dixi (quæ etsi per se non subsistit, tamen substerni suis qualitatibus non desinit) ad ipsam personam trahis, de qua fateor quidem dici Finitum & Infinitum, sed duarum diuersarum naturarum respectu, vt tu ipse explicas. Num verò quum vnum & eundem hominem dicimus mortalem esse secundum corpus & immortalem secundum animam, idcirco mortalitatem simul & immortalitatem corpori vel animæ attribueris? Fuit igitur hoc demum tibi de quo quærebatur demonstrandum, quānam videlicet verum esse possit, id est verbo Dei consentaneum vnum & idem corpus Christi eodem momento esse in cælis symmetria sua & quantitate.



tate circumscriptum ( vt rectè loquitur Kemnitius ) & tamen siue in sese & in abstracto ( vt scribit Selueccerus ) siue in Deitate Verbi ( vt alij ænigmaticè loquuntur ) esse omnipræsentem vnionis personalis prærogatiua , quam tamen omnibus sanctis communem esse vult Iacobus Andreas. Quod autem ais non esse scrutandam Maiestatem in vnionis mysterio , in eo tibi planè assentimur : sed eos negamus hoc crimine teneri , qui falsas verbi diuini interpretationes ex articulorum fidei analogia , & locorum collatione dignosci volunt.

*Decimumquintum Argumentum*

*Beza.*

**S**I hærendum est in singulis verbis , nec vlla admitti debet figura , sequitur vt solum corpus sit in pane , & solus sanguis in vino : & ita corpus & sanguis Christi separantur à se inuicem.

*Responsio Pappi.*

**N**ON id sequitur ex nostra sententia , quia non includimus corpus Christi localiter pani , & sanguinem vino , sicut Papistæ. Sed dicimus corpus & sanguinem Christi cum pane & vino præsentia esse sacramentaliter. Modum



autem præfetiæ credimus propter verba Christi: non autem qualis sit, curioſè definimus.

*Apologia Bezae.*

**I**Mò (excepta tranſſubſtantiatione) eadem eſt veſtra ſententia quæ Papiſtarum, Luthero quoque manifeſtè in confeſſione maiore Nicolaum Papam laudante. Vultis autem vtrique in inſtitutionis Cœnæ verbis τὸ πρὸς τοῦ præciſè abſque vllo prorfus tropo ſeruari. Ideo dixi quum in priore parte Inſtitutionis mentio tantum fiat corporis, in poſtèriore verò ſanguinis, niſi ſynecdoche vtrinque ſtatuatur, neceſſariò ſequi ſolum corpus eſſe in pane & ſolum ſanguinem in vino: neque tu ſanè quicquā hīc reſpondeſ quod ad rem faciat. Nam ſiue localiter id fiat, ſiue alio vllo vel cognito vel incognito modo id fieri dicāſ, firmum tamen argumenti mei fundamentum perſtabit. Quod autem dicis corpus & ſanguinem cum pane & vino præſentia eſſe ſacramentaliter, ſi eo ſenſu abſ te dicitur, quo ſentit Iacobus Andreas theſi 53, nempe ab inſtitutione Cœnæ non pendere præſentiam corporis, ſed tantum eius diſpenſatio-



fationem (illam enim ab vnica vbique  
præsentia Maiestatis, quam vocat, esse  
petendam) prius erit tibi cum illo tran-  
sigēdum, quàm nobiscum disputandū,  
qui & ipsi in sacramento, id est, sacra-  
mento repræsentatam, adesse carnem  
Christi in Cœna, & nobis spiritualiter  
per fidem fruendam dari minimè diffi-  
temur, teste tot antè annis D. Zuin-  
glio beatæ memoriæ in Confessione  
Regi Galliarum Francisco primo di-  
cata.

*Decimum sextum Argumentum Beza.*

**S**I corporaliter comedimus corpus  
Christi, & traicimus in ventricu-  
lum, tum nullus est vsus manducatio-  
nis.

*Responsio Pappi.*

**N**E M O ex nostris tam absurdè &  
Capernaiticè atque more *αὐθεγοπο-  
φάων* loquitur. Non dicimus nos cor-  
pus Christi sumere corporaliter, oraliter,  
dentaliter, &c. sed sacramenta-  
liter, vt iam aliquoties est explicatum.

*Apologia Beza.*

**O**B S E C R O te, vt ex vetere for-  
mula agamus, Inter bonos benè



agier oportet. Vos ita prorsus accipienda esse verba institutionis Cœnæ Domini dicitis vti sonant. Quid te iuat igitur istud, quòd Christi corpus nò solum, sed sacramentaliter, id est, vnà cum pane, manu propriè accipiat & ore comedatur? Nam si res ita se habet, quàm negaueris alterum esse necessarium, nempe vt vel statim corpuseuanescat, vel in ventriculum quoque vnà cum pane traiciatur? Non potestis tamen hoc ferre, & nos conuicium vobis facere clamitatis. Atqui Deus mihi testis est me non conuiciandi animo sic loqui, sed quoniam, teste D. Luthe-ro in tractatione de Conciliis, & re ipsa hoc clamante, non satis sani hominis esse videtur negare consequens, cuius fatearis antecedens, quod etiam Brentiū ad vbiuitatem pedibus ac manibus asserendam coëgit. Et certè hoc dixi & dico, non nisi posita vbiuitate stare vel transubstantiationem papisticam vel consubstantiationem vestram posse, ac proinde quicquid isti sese destruenti fundamento superstruitur, corrui-tur simulatque spiritus erroris efficacia desierit: qua in re, vtinam & tu, mi

Pappe,



Pappe, & omnes ij, de quorum alioqui  
tum doctrina tum pietate sentio quod  
debet, operam præclaram tandem ali-  
quando nauetis. Sed, vt ad rem redeam,  
non ignoras glossam iuris Canonici in  
Cap. Ego Berengarius, de Consecr. dist.  
2. in hæc verba, *Panem & Vinum, quæ  
in altari ponuntur, non solum sacramen-  
tum, sed etiam verum corpus & sanguinẽ  
Domini nostri Iesu Christi esse & sēsualiter  
non solum sacramento, sed in veritate ma-  
nibus sacerdotum tractari, frangi, fidelium  
dentibus atteri, admonere, nisi hæc pru-  
denter accipiantur, futurum vt in ma-  
iorem hæresin incidamus.* At Luthe-  
rus in maiore confessione, quam sancte  
supprimi vt alia satis multa præstitit-  
set, *Quod pani, inquit, sit, id ipsum VE-  
RE ET PROPRIE corpori Christi tri-  
buitur propter sacramentalem coniunctio-  
nem.* Male igitur glossa in iure Canonico,  
quum Nicolaum Papam reprehēdit, quod  
dicat atteri dentibus verum corpus Chri-  
sti. Atque utinam tam Christianè egisset  
omnes Papæ, vt Pontifex ille cum Berenga-  
rio egit in ista confessione. Hæc ille. Quod  
si sacramentalis coniunctio ita est realis  
vt propriè dicatur de corpore quod de



ipſo panis elemento, mirum ſanè quid-  
dam feceris, niſi etiã concedas propriè  
ac reiſa corpus frangi ( vbi quidem  
frangitur, quod audio non magis in ve-  
ſtris Eccleſiis, quàm in Papiſticis obſer-  
uari ) ipſis dentibus atteri, in ventricu-  
lum deſcendere, atque adeo concoqui  
& nobis aſſimilari, niſi malitis cum Pa-  
piſtis præſentiam illam deſinere, ſimul-  
atque ſpecierum forma deperiit.

*Decimumſeptimum Argumentum Beza.*

**C**HRIſTUS dicit, hoc facite in  
mei recordationem. Meminimus  
autem non rerum præſentium, ſed vel  
præteritarum vel abſentium: Ergo cor-  
pus Chriſti non eſt præſens.

*Reſponſio Pappi.*

**H**ÆC verba non loquũtur de ſub-  
ſtantia Cœnæ Domini, ſed de fi-  
ne, uſu & fructu eius, vt meminerimus  
per veram fidem, videlicet eius mortis  
& paſſionis, qua ſumus redempti: non  
vt recordemur eius rei, quæ nobis in  
Cœna exhibetur.

*Apologia Beza.*

**T**V videris ex quo iſtarum Homi-  
liarum mearum loco iſtud argu-  
mentum



mentū deprōpseris, quemadmodū alia  
 nōnulla te video partū ex nostris præte-  
 riisse, partim tibi cōfinxisse, nisi fortè al-  
 terius alicuius culpa id euenerit. Habeo  
 tamen quod respondeam. Hæc enim,  
 inquit Christus, facite in mei recorda-  
 tionem: quibus verbis ego non video  
 quī possis inficiari, non tantū ipsius  
 mortis, sed etiam ipsiusmet corporis  
 Christi pro nobis traditi & sanguinis  
 pro nobis effusi visibilia ἀντίτυπα nobis  
 illic ad excitandā eorum etiā ipsorum  
 recordationem præberi, certè vt in sese  
 ac reipsa absentium. Quorsum enim si  
 res ipsæ præsentēs sisterentur, illa μν-  
 νόσῳα adhiberentur?

*Decimomoctauum Argumentum Beze.*

**N**ON euacuātur signa, etiamsi cor-  
 pus & sanguinem Christi non dica-  
 mus esse præsentia, quia in Baptismo  
 signum, id est, aqua, non ideo vanum  
 est & inane, quia sanguis Christi per a-  
 quam significatus, non tamen copu-  
 latur cum aqua.

*Responsio Pappi.*

**C**H R I S T V S de aqua Baptismi  
 non dixit, Hic est sanguis meus,



sed in Cœna dixit, Hoc est corpus meum  
& de vino, Hic est sanguis meus &c.  
Quæ verba tum protulit, quum Testa-  
mentum suum condidit, nec locutus est  
ænigmaticè.

*Apologia Beza.*

**P**APISTIS certè transsubstantia-  
toribus potiùs, quàm vobis conue-  
nerit hæc responsio. Nec enim puto  
vos inficiari, non minore virtute, quàm  
corpore & sanguine Christi in Cœna  
pascamur ad vitam æternam, nos eius  
sanguine in Baptismo ablui. Quòd si  
sanguis Christi in Baptismo, quanvis  
cum aqua ipsa minimè realiter præsens  
(vobis confitentibus) tamen ad abluen-  
da credentium peccata sufficit, nec pro-  
pterea euacuatur Baptismus, quòd præ-  
sens re ipsa cum aqua sanguis nō effun-  
datur: cur ad animos in vitam æternā  
reficiendos corpus & sanguinem Do-  
mini minùs sufficere dixerimus, etiam si  
re ipsa cum panis & vini signis non co-  
pulentur? Iam verò quòd ad Testamē-  
ti vocem attinet, si minùs id putaris ad  
Baptismum, quàm ad Cœnam Domi-  
ni pertinere, præterquàm quòd res i-  
psa te redarguerit, quum sanguine  
Christi



Christi in Baptismo remissionem peccatorum consequi non minùs quàm in poculi sacri sumptione, & Christum induere, ipsiq; inferi, & vna sepeliri ac resurgere non minùs, quàm ipsi incorporari in Cœna dicamur: excluderis certè à Christi testamēto infantes priùs morientes, quàm ad Domini mensam possint accedere. Putridum autem illud ac millies recoctum à Papistis ferculum, quòd in testamenti factione nullus sit vlli tropo locus, nescio quid tibi in mētem venerit, vt nobis reponeres.

*Decimumnonum Argumentum Beza.*

**D**ICIT Beza magis spiritualem & abstrusam atque ineffabilem esse corporis Christi coniunctionem nobiscum, quam ipsi comminiscuntur, atq. nostra sit, qua videlicet ex ipsorum sententia corpus Christi, quod in cælis est nobis in terra existentibus, per fidem efficaciter coniūgatur, quòd longè maius sit miraculū, quàm si præsens Christi corpus præsentibus coniungeretur.

*Responsio Pappi.*

**N**ON mirum est hoc eis figmentū magis placere, quum sit opus ma-

h



num ipforum, ab ipsis videlicet præter & contra Dei verbum, & humanæ rationis persuasione excogitatum. Et certè id est, quod dicimus: ipsos fidei suæ maiorem efficaciam & potentiam tribuere, quàm ipsi Christo. Nam quum Christus dixerit suum verum corpus & sanguinem adesse, putât id ab ipso præstari non posse: interim tamen fidei suę tribuît, vt nubes penetret, & Christum in supremo cælo collocatum verè & efficaciter apprehendat. Non autem quæritur hoc loco vtra præsentia ratio humanæ naturæ videatur magis spiritalis & abstrusa, sed quid Christus dixerit.

*Apologia Beza.*

**I**Mò nobis iniuriam facis, Pappe, quã tibi condonet Dominus: ac etiam contra Dialecticorum regulas grauitèr peccas. Assumis enim illud ipsum de quo quæritur, Num videlicet Christi verba sint ita, vt vos vultis de corporali præsentia in pane, an verò de corporis quidem præsentia, sed mystica & spiritali intelligenda. Deinde & à teipso & à Brentianis omnibus deficiis, quum ad statuendam istam realem corporis in



in pane præsentiam ad Christi verba  
refugis, quam tamen toties iam an-  
tea ad incarnationem siue vñionem hy-  
postaticā retulisti. cuius virtute si Chri-  
sti corpus est verè vbiq̃ue essentialiter,  
nempe & in pane hanc ipsam ob causā  
extiterit, non quòd dixerit Christus,  
Hoc est corpus meum. Institutio autē  
Cœnæ hoc tantum effecerit, vt ibi de-  
tur & accipiatur. Præterea quod ais nos  
plus tribuere fidei, quàm Christo, quo-  
niam fide credamus apprehēdi Chri-  
stum, quanuis longissimè remotum, &  
tamē negemus efficere posse Christum,  
vt corpus & sanguis ipsius verè adsint:  
in eo rursum nobis magnam iniuriam fa-  
cis. Primū enim quantamcūque vim  
fidei tribuimus, an non Christo ipsi ad-  
scribimus? nisi fortè putas nos vsquea-  
deo insanire, vt fidem credamus in sese  
hanc vim habere, ac non potiùs Christū  
in credentibus quicquid promisit vna  
sui Spiritus virtute efficere. Deinde nō  
simpliciter, sed ex hypothēsi dicimus  
Christum nō posse corpus suum in ter-  
ris ita, vt vultis, sistere, quoniam videri-  
cet mentiri ac proinde contradictoria  
velle, vel facere non possit. Contradi-

h. ij.



ctoria autem esse dicimus, Christum v-  
nico corpore, eoque verè organica qua-  
ritate & symmetria præditū, simul eo-  
démque momento esse hoc ipso corpo-  
re reipsa præsentē in terris, & quidem  
vel omnibus locis, vt volunt Brentiani,  
atque adeo vbicunque est Deitas: vel,  
vt nonnulli modestiores volunt, quot  
locis Cœna Domini ritè celebratur.  
Hoccine verò est Christi Deitatē omni-  
potentem inficiari, an potius illam cum  
ipsius patefacta voluntate copulare, &  
ex fidei analogia atque adeo ex sacra-  
mentorum institutionis fine æstimare?  
Sic certè nos ipsè quoque Augustinus  
argumentari docuit, quem locum rogo  
te, vt diligenter expendas, prout sæpe  
iam estis admoniti. Minimè igitur  
ignoras duplex illud Manichæorū de-  
lirium, qui Deum quidem rebus omni-  
bus insitum veluti rerum ipsarum essen-  
tialem partem somniabant, Christum  
verò in omni ligno & fructu, cuius etiā  
virtutem in Sole, sapientiam in Luna  
ponebant. Illud autem prius commen-  
tum si dixerò apertissimè à Iacobo An-  
drea rursus inuehi, num (quæso) fue-  
rim mentitus? Scribit enim disertis  
verbis



verbis, Deum, quod ad essentiam attinet, esse subsistentia-  
liter in rebus omni-  
bus, & personaliter omnibus sanctis v-  
nitū, quod puduisset ipsos Manichæos  
fortasse profiteri, Christum verò Ma-  
nichæi tantū in omni arbore & fructu  
collocabant: vos vbique esse reipsa  
totum contenditis. Et quidem quum  
id viderent Manichæi quadrare natu-  
rali corpori non posse, apertè imagina-  
rium tantū quoddam corpus illi tri-  
buebant. Vos autem istam repugnan-  
tiam nihil veriti, verum corpus Chri-  
sto tribuitis, sed quod virtute Deitatis  
sit vbique, id est, corpus non corpus,  
finitum simul ac infinitum, siue quan-  
tum & non quantum, quod nobis qui-  
dem certè videtur ipso Manichæorum  
commento absurdus. Quid autem ad  
hæc Augustinus? Prius quidem illud  
multis locis refellit, ostendens longè  
aliud esse Deum, quàm à Deo, & per  
Deum existere. Posterius autem sic re-  
futatur libro aduersus Faustum vicesimo,  
vt dicat, si Christi corpus esset in omni  
ligno & fructu, oportere alterum isto-  
rum sequi, nempe vt vel, si corpus istud  
vnicū esse statuatur, sit per omnia ligna  
h. iij.



distentum, ac proinde in nullo ligno totum existat, vel vt totidem corpora Christo tribuatur, quot sunt ligna. Obsecro verò, an non idem prorsus responsū multò magis nobis suppeditatis, qui Christi humanitatem vultis nō tantum in tot panibus, quot panes in Cœnæ celebratione in toto terrarum orbe distribuuntur, sed etiam in omnibus locis sine exceptione inexistere? Nec defuit Manichæis, vt eo ipso loco tractatur, quod obiicerent de pane mystico, in quo sese dicebant Christianos habere adstipulatores, vt qui tot simul panibus Christi corporis nomen attribuerēt. Num igitur Augustinus ad hypostaticam omnimaiestatem, num ad τὸ πρὸν illorum verborum refugit? Nequaquam profectò. Tunc enim erant ista Ecclesiæ Dei prorsus ignota, & seipsum suo gladio iugulasset, quoniam hæc eadem in ipsum retorsissent Manichæi, quæ fuisset in ipsos iaculatus. Sed duo respondet, vnum quòd panis iste, quem Christiani corpus Christi vocant, non nascatur, sed talis fiat, quum Manichæi omni ligno naturā inesse Christi corp<sup>o</sup> dicerēt, quod & vos  
ho-

hodie  
stro  
caro  
iste si  
sacra  
sponsi  
tuisse,  
& RE  
vnum

IN A  
rum  
eorum  
dem:  
iungit  
pso fer  
vt ad n

N V  
no  
sue sue  
coniur  
ex S.  
moner  
manita



hodie necesse est fateri ex dogmate vestro consequi, ex quo tempore Verbum caro factum est: alterum quod panis iste sit corpus Christi mysticè, id est, sacramentaliter duntaxat, cuius responsionis vides nullam vim esse potuisse, si SACRAMENTALITER & REIPSA in, vel sub, vel cū pane esse, vnum & idem significarent.

*Vigesimum Argumentum*

*Beza.*

**I**N Actis dicitur, Corda Christianorum fuisse coniuncta, quia videlicet eorum idem fuit sensus, & voluntas eadem: eodem modo Christus nobis coniungitur per fidem, ut idem cum ipso sentiamus. Nec est necesse ideo, ut ad nos de cælo descendat.

*Responsio Pappi.*

**N**VLLIBI in Scriptura docetur non alio modo Christum Ecclesiæ suæ coniungi, quàm fideles inter se coniuncti sint. Sed hoc certum est ex S. literis, propter personalem unionem Christum etiam secundum humanitatem esse ubique.

h. iij.



*Apologia Beza.*

**N**E hoc quidem argumentum in Homiliis illis nostris inuenisti, Pape, neque vnquam diximus sola voluntate tenus nos Christo consociari. Imò falsi semper sumus oportere nos ipsummet Christum participare: neque ignoras quomodo Cyrillus locum ex libro ipsius decimo in Iohannem cap. 13. interpretari consueuerimus, vbi copiosè mysterium istud explicatur. Vteris ergo translatione questionis, quod certè factum non oportuit: quod vt meliùs perspicias, scito inter nos non quid nobis à Deo Patre in Cœna ipsius detur controuerti, quum & ipsum Christum, & quæ ipsius carni insunt, & quæ ab ipso in nobis efficiuntur, nostra fieri ad salutem oportere vltro fateamur: sed in eo positam esse controuersiam, quòd in simplici quidem verbo, ac etiam in Baptismo solam vim *εὐεγγημίου* Christi doceatis nobis communicari, in Cœna verò ipsam præterea Christi humanitatem manibus & ore sumendā vnā cum signis dari velitis: vnde sequitur illius, quanuis (vt vultis) non localiter, tamen eo ipso in loco,



loco, realis in ipsis signis, corporis & sanguinis Domini inexistencia. Nos autem efficacitatem & effecta ipsius Christi neque in verbo simplici, neque in sacramentis seiungimus, & tum ipsummet, tum quæ ipsius carni insunt, in sacramentis quidem mysticè significari, spirituali autem virtute per fidem nostra fieri affirmamus, vt nulla hîc sit corporis nostri actio præter meram ipsam symbolorum acceptionem. De hoc igitur quum quærat, de eo demum respondere te oportuit. Nam quod de personali vnione inculcas, satis superque est à me demonstratum de homine quatenus Deus est, nam de ipsa humanitate siue seorsim, siue cōiunctim considerata intelligendum.

*Vigesimumprimum Argumentum*

*Beza.*

**S**OL in cælo existens radiis suis nos calefacit, nec opus est propterea ad nos in terram descendat. Quare non igitur eadem vel multò maior sit efficacia Solis iusticiæ, id est, Christi.

*Responsio Pappi.*

**N**ON quadrat similitudo. Nam Sol, vt reliqua astra, virtute sua & in-



fluxu quodam in nos agunt : verum Christus ita in nobis operatur , vt simul ipse sit praesentissimus , quod S. scriptura manifestè testatur, & personalis quoque vnio euincit.

*Apologia Beza.*

**M**E A hæc verba sunt . *Quum Solis quantumuis procul positi calore vniuersus orbis vegetetur , non poterit scilicet Christus, carne & sanguine in caelo permanentibus , vsque adeo verè esse nostrum mysticum caput, vt aeterna vite succum nobis instillet.* Minimè igitur ista vt paria, sed minus potiùs cum maiore comparauit : neque sanè tibi facillè fuerit hoc argumentum refutare. Falleris autem vehementer si putas Christum ipsummet idcirco nobis communicari, vt eius corpus cum nostro essentialiter coalescat ac veluti ferrumineatur. Nam potiùs, vt est spiritualis modus istius communionis, ita etiam spiritualis est ipsius finis, nempe vt ab ipso nobis communicato quicquid ad salutem nostram requiritur partim nobis imputetur, partim in nos vnà cum vita tandem ipsa aeterna spiritualiter per fidem deriuetur.

*Vige-*



*Vigesimum secundum Argumentum**Beza.*

**C**H R I S T V S nō alia ratione nobis præsens est in sacramento Coenæ, quàm olim sanctis patribus, vt testatur Apostolus 1. Cor. 10. Ergo non est præsens corpore suo.

*Responsio Pappi.*

**P**A V L V S eo loco minimè id dicit, quod ipsi fingunt, videlicet patres sub veteri Testamento eandem escam manducasse nobiscum: sed inquit ipsos Iudæos, quos Dominus ex Ægypto educebat, eandem escam manducasse, hoc est, fuisse membra Ecclesiæ & participasse iisdem sacramentis: & nihilominus tamen eos qui peccauerunt à Deo punitos esse. Idcirco caueamus nobis & non permittamus nobis licentiam peccandi, propterea quòd membra simus Ecclesiæ. Certum autem est maximam esse differentiam veteris & noui Testamenti, propterea quòd iam credimus in Christū incarnatum, qui reuera nobis adest, non tantum Deitate sua (quemadmodum patribus olim) sed etiam humanitate. Nam



propter vnionem personalem non potest nobis adesse Deitas, quin simul adsit humanitas.

*Apologia Beza.*

**R** VRSVM aberras à nostro argumento. Nec enim vnquam sū inficiatus corpus Domini præsens esse in Cœna, sed sacramentaliter non realiter inexistens in, sub, vel cum pane: & verè in Cœna percipi, sed spiritualiter per fidem, non manibus aut ore. Vt autem vtrunque probarem, id est, vt istam realē inexistenciam, quā tu rursus non institutioni, sed hypostaticę vnioni tribuis, ostenderem, etiam si possibilem esse darem, tamen ad veritatem sacramenti & veram perceptionem corporis Domini necessariam non esse, produxi quod testatur Paulus, Patres nimirum eundem potum bibisse, & eundem cibum atque nos manducasse, id est, ipsomet Apostolo interprete, Christum ipsum, eumque totum: etsi re ipsa nondum humanitas ipsius erat in rerum natura, nedum vt realiter illis veteribus symbolis inexistet. Etenim neque absque Christo fuit vnquam salus



lus aut fides, neque Christus dimidius  
illos vnquam seruauit: ex quo conse-  
quitur illorum fidei spiritualiter iam  
tum fuisse præsensem (de iure videlicet,  
vt loquuntur) Christi humanitatem  
nascituram, sicut nostræ fidei itidem  
spiritualiter nunc est eadem præsens, i-  
pso, vt loquitur, facto: symbolis vide-  
licet variatis, eadem autem vbique tū  
re significata, tum fide, & eodem præ-  
sentia sacramentalis, ac spiritualis per-  
ceptionis modo. At tu contrà con-  
tendis non esse hanc Apostoli mentem,  
vt dicat patres & nos, sed patres potius  
omnes eiusdem inter se cibi, nempe  
Mannæ, & eiusdem potus, nempe riu-  
i ex petra profluentis, fuisse participes.  
Atqui ne tu quidem opinor in contro-  
uersiam reuocaris, sacramēta veterum,  
quod ad rem significatam attinet, fuisse  
cum nostris eadem, quanuis signis  
diuersa, quum Christum & quidem to-  
tum (quum dimidius nihil profit) a-  
dumbrarint venturū, nostra verò Chri-  
stum qui venit, quæ temporis diffe-  
rentia nullum in re ipsa discrimen con-  
stituuit, sicut copiosè plurimis locis ex-  
plicat Augustinus. Sed negabis for-



tassis Apostolum eò respexisse. Audi-  
gitur eundem illū Apostoli verbis fre-  
tum disertis verbis nostram expositio-  
nem confirmantem. Sic enim ille tra-  
ctatu in Ioh. 45. vt iam pridem Illyri-  
co illi totius Germaniæ pesti obieci. *Eū-  
dem potum spiritualem biberunt, spiri-  
tuale eundem, corporalem non eundem.*  
*Quid enim illi bibebant? Bibebant de*  
*spirituali petra, petra autem erat Christus.*  
*Videte ergo. Fide manente, signa sunt va-*  
*riata. Ibi petra Christus, nobis Christus,*  
*quod in altari ponitur. Et illi pro magno*  
*sacramento eiusdem Christi, biberunt a-*  
*quam profluentem de petra, nos quid bibe-*  
*mus norunt fideles. Si speciem visibilem*  
*intendas, aliud est: sin verò intelligibi-*  
*lem significationem, eundem potum spiri-*  
*tuale biberunt. Et rursus in tractatu*  
*De pœnitentiæ vtilitate, quem ὡς ποτὶ*  
*esse non video cur dubitemus. Eundem,*  
*inquit, cibum manducauerunt. Quid est*  
*EVNDEM, nisi QVEM ETIAM NOS?*

*Vigesimum tertium Argumentum*

*Beza.*

**F**I D E absentia nobis sunt præsen-  
tia, & quæ nondum sunt, quia fi-  
des



des est hypostasis rerum non existentium.

*Responsio Pappi.*

**V**ERVM id est: sed non inde sequitur Christum nobis non alia ratione esse præsentem, quia manifestè S. literæ nobis personalem ipsius omnipræsentiam confirmant. Deinde si ratio præsentiae Christi penderet ex nostra fide, non tantum miserè nobiscum ageretur propter nostram incredulitatem, verum etiam fides nostra, ut dictum est, præstantior & potentior esset ipso Christo, utpote quæ Christum nobis præsentem sisteret, vel absentem esse cogeret, prout videlicet quilibet vel crederet, vel non crederet.

*Apologia Beza.*

**P**ERSONALEM præsentiam miramur, Pappè, à te non distingui ab humanitatis præsentia, quum, ut toties est à nobis antea inculcatum, aliud sit Natura, quàm Persona, & personalis vnio saluas relinquat tum Deitati, tum humanitati suas essentielles proprietates, sua subiecta non egredientes, quantum in hypostasi vnitas. Alteram au-



tem partem tuæ responsionis, quid at-  
tinet pluribus refutare? Non enim di-  
cimus fidem efficere, vt res significata  
sacramentaliter adsit, quum hoc ab vna  
Cœnam instituentis auctoritate pen-  
deat: vel fidem sua virtute apprehen-  
dere, quòd ipsi sacramentaliter præbe-  
tur, quum fides ea in re sit potius *πρὸς τὴν*  
*πρόσῳπτον* quàm *ἐνεργητικὸν*: Christo vide-  
licet sese communicante, fide verò, quæ  
& ipsa donum Dei est, eum recipiente.  
Sed video vos certè libenter ab ipsis  
Papistis arripere tela, quæ in nos tor-  
queatis, quum illos oportuerit potius  
communi consensu, vbi quidem nos  
calumniantur, oppugnari. Obiiciunt  
igitur illi doceri à nobis, quòd à fide pē-  
deat sacramentorum veritas, quasi cre-  
dentibus adsit Christus (sacramentali-  
ter videlicet) incredulis autem non i-  
tem, quod falsissimè nobis impingitur.  
Fatemur enim sacramenta tum dignis,  
tum indignis integra præberi, ac proin-  
de siue dignè, siue indignè ad ea acce-  
datur, tam signum, quàm res significa-  
tas quibusuis accedentibus offerri. Sed  
sicut cæcis Sol etiam lucem præbens ta-  
men non lucet, idque cæcorum vitio,

vt



vt rectè dicere liceat Solem solis videntibus lucere, & oculorum aciem efficere, non vt Sol luceat, sed vt intuenti luceat: ita dicimus fidem efficere, siue fide interueniente fieri, vt res symbolis significatæ credentibus adsint, incredulis absint. Aut igitur quid dicamus non intelligis, aut calumniam à Papi-  
stis contra nos mutuaris.

*Vigesimumquartum Argumentum*

*Beza.*

**A**IT Beza non obstare sibi Christi omnipotentiâ, quia etsi Deus posset hoc facere, tamen non vult: id quod his articulis fidei probare conatur, Ascendit ad cælos, Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Deinde quia Deus non vult contradictoria: nam id esset mentiri. Sed Christum habere verum corpus, & interim esse omnipræsentem &c. implicat contradictionem.

*Responsio Pappi.*

**P**RIMUM quis sit sensus horum articulorum fidei, & quòd Christus verè nobis præsens esse velit, sæpe demonstratum est. Deinde hæc non



implicant contradictionem, quia Christus dicitur esse omnipotens secundum humanitatem, non quatenus est humanitas (quo sensu vera esset contradictio) sed quatenus personaliter vnita est Filio Dei.

*Apologia Beza.*

**I**Mò nunquam euinces in his articulis Ascendere & Venire è calis aliter quàm propriè esse accipienda, ac proinde veram ac phylicam mutationē loci declarare, quomodo intelligendos esse hos fidei articulos nemo ab ascensione Christi ad hoc vsque seculum dubitauit. Deinde, quæso, quomodo tandem hoc dictum interpretaberis, Christum esse præsentem secundum humanitatem, non quatenus est humanitas, sed quatenus est vnita Filio Dei? Num enim alia ratione humanitas esse potest humanitas, quàm qua ratione est in sese humanitas suis essentialibus proprietatibus constans, quantuncumque nō in propria, sed Verbi Deitate subsistat? Sed hominem sanè considerare potestum in sese (& hac ratione vbique illū esse dicere nō minùs Eutychianū fuerit, quàm



quàm si dicas humanitatem ubiq. esse, quoniam homo in sese consideratus nihil aliud est quàm humanitas ) tum *rel. 2* *allo,* id est, quatenus Deus est, siue vnitus Verbo, quo respectu qui ubique esse negarit, Nestorianus sit oportet. Et ita demum vitatur contradictio in concreto, non in abstracto: quod si semel expenderitis, ecce pax est Ecclesiis reddita, nec vllus, siue transsubstantiationis, siue consubstantiationis, siue ubiquitatis controuersis locus erit relictus.

*Vigesimumquintum Argumentum*

*Beza.*

**A**FFERT Beza distinctionem ex scholasticis, vt Christo secundum gratiam vnionis collata sint omnia dona: secundum gratiam verò habitualē, quædam tantum, videlicet quorū particeps esse possit creatura: nam tametsi mensura donorum in carne Christi sit summa, tamen esse mensuratam & per consequens definitam.

*Responsio Pappi.*

**H**VIC distinctioni aperte refragantur S. literæ, vbi dicitur datam esse Christo omnem potestatem in cæ-

i. ij.



lo & in terra, quod certè de humanitate, non autem diuinitate ipsius intelligi potest. Siquidem diuinitati nihil datum est, aut dari potuit, vtpote quæ ab æterno omnia habuerit. Item Apostolus inquit Col. 2. In Christo habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter. Et alibi dicitur, Datum ei esse Spiritum non ad mensuram.

*Apologia Beza.*

**N**V M igitur, quæso, existimas causam ab effectis in sacris literis non distingui, aut idem esse, *Homo est Deus vnita in vnâ personam humanitate atque, Deus assumptam naturam ornauit suis siue finitis siue infinitis donis?* Dicere certè non potes humanitatem esse subiectum, cui inhæreat Deitas. Et tamē necesse est te fateri humanitatē esse subiectū, cui inhæreāt omnia dona, quæ à Verbo cum ea vnito, sunt & in animā, & in corpus Christi effusa. Quū sit igitur, vt gratiam vnionis qua Homo euasit Deus non in sese, sed *κατ' ἄλλο* (nempe in assumente Deitate) à gratia habituali, qua homo iste Spiritus dona sine mensura accepit, distingui nolis? Quid? an nō tu ipse hac distinctione vteris imprudens



prudens, quanuis concretum cum abstracto, id est, personam, vt modò dixi, cum natura confundas, humanitatem negans vbique esse, quatenus est humanitas, sed quatenus vnita est Deitati? Sed, inquis, datus non est ei Spiritus ad mensuram. Verùm quid hoc te iuuat, si verum est, quod tu ais, nempe hanc immensitatem in ipsa humanitate non inesse, sed in Verbo cui vnita est? Agitur enim hîc de donis ipsi humanitati, vt subiecto inhærentibus. Scito igitur hîc dici datum esse Spiritum Christo secundum humanitatem, id est, dona Spiritus sancti in ipsius humanitatem fuisse effusa sine mensura, id est, non aliqua sed omnia, nō aliquatenus sed summa. Verùm quorsum hæc ad essentielles illas, & gratia quidem habituali incommunicabiles Deitatis proprietates? Sed (inquis) data est eius humanitati omnis potestas in cælo & in terra. Esto. Quis enim hoc negat? ius videlicet omniū creaturarum rerum administrandarum, vt ei flectatur omne genu. Num verò propterea essentialiter vbique esse eius humanitatē rectiùs concluderis, quàm si dicam Solem, quoniam ius habet to-

i. iij.



tius hemispherij illustrandi, totum hemispherium suo corpore implere, aut totum esse in singulis illius partibus? vel Hispaniarum regem, quoniam potestas illi est attributa in maximam orbis terrarum partem ab Occidentali India in Oriëntalem, idcirco iisdem illis regionibus corporaliter adesse? Ais denique ex Apostolo omnem Deitatis plenitudinem in Christo habitare Corporaliter. Sanè ita est, ideóque intolerabilis est eorú error, qui plenitudinem Deitatis interpretantes plenissimam donorum in Christi carnem effusionem, proprietates essentielles naturarum cum Eutychete permiscunt: & quum disertis verbis dicant Deitatem subsistentialiter omnibus rebus adesse, & omnibus sanctis personaliter unitam, *σωματικῶν* vnionem in *ἐνερgeticῶν*, & hominem Deum in hominem diuinissimum transformantes, personam cum Nestorio diuidunt: utroque inde promanante errore, quòd gratiam vnionis quo Christus est Deus homo, à gratia habituali, siue ab illius vnionis intra Christi carnem effectis non distinguunt.

Vige-



*Vigesimum sextum Argumentum Beza,  
de manducatione Im-  
piorum.*

**I**MPIOS non percipere verum cor-  
pus & sanguinem Christi, sed nuda  
signa inde vult probare Beza, quia Chri-  
sti corpus non sit separatum à suo Spi-  
ritu, qui vbicunque est, viuificat: im-  
pios autem idcirco esse reos corporis  
Christi, non quòd reuera sumant cor-  
pus Christi & verum sanguinem, sed  
quia id aspernantur, siue non discer-  
nant, vt Paulus ait.

*Responsio Pappi.*

**P**RIMUM impios etiam sumere  
verum corpus Christi & verum  
sanguinem inde constat, quia fides no-  
stra non est causa præsentiæ corporis  
& sanguinis Christi in Cœna, sed ipsa  
Christi saluatoris verba, quibus nobis  
id pollicitus est: alioquin fidem nostrā  
facimus potentiorē ipso Christo, vt  
suprà diximus. Deinde quòd impij nō  
inde viuificantur, sed id percipiunt ad  
iudicium, id fit propter illorum incre-  
dulitatem. Incredulitas autem homi-  
i.iiij.



num, Dei fidem non exinanibit. Rom. 3. Nec Christus ideo mendax est, quia ipsi nō credūt. Et notandū est hoc loco Christum non tantū esse saluatorē fidelium, sed etiam iustum iudicem impiorū. Sicut aliās quoque prædicatio verbi Dei piis & fidelibus est odor vitæ ad vitam: impiis verò & infidelibus odor mortis ad mortem.

*Apologia Beza.*

**P**RIMUM omnium illud miror, cur quā antea toties realis præsentie corporis Christi in reb. omnib. causam esse dixeris personalem vnionem, nunc id ipsum institutionis Cœnæ verbis tribuas, quæ tamen, si verum illud est, nō præsentie corporis in Cœna, neque in pane, sed sacramentalis tantū præbitionis & receptionis causa fuerit. Sed, age, hoc omisso ad rem ipsam veniamus. Ais fidem nostram non esse causam præsentie corporis Christi in Cœna, sed ipsius Christi verba, ac proinde tam dignos quā indignos corp<sup>9</sup> Christi sumere. Concedo antecedens, neque quisquam vnquam nostrū dixit Sacramentorum veritatem à fide accedentium pendere: imò tum signum tum

res



res significatas sacramentaliter Christi  
ipſius voluntate & instituto ſemper  
coniungi, & accedentibus quibuiſ  
præberi faſſi ſumus, ubi ritè Cœna Do-  
mini adminiſtratur, ſiue digni ſiue in-  
digni accedant. Sed conſequens nega-  
mus, quoniam tam abſurdum eſſe ar-  
bitramur contendere à quibuiſ ſumi  
ſignū & rē ſignificatā, quoniā quibuiſ  
præbeatur, quàm ſi concludatur Solem  
omnibus lucere, quoniam omnibus lu-  
cem ſuam præbeat. Ratio iſtius abſur-  
ditatis hæc eſt, quoniam res quidem  
terrena, id eſt, panis & vinum cor-  
pori, res autem ſpiritualis, id eſt, cor-  
pus Chriſti ſpiritualiter & in ſpiritua-  
lem vſum præſens, intellectui ac fidei  
præbetur: ex quo conſequitur, quum  
quuiſ os corporis adferat, quoſuiſ iti-  
dem ſigna ſumere: & quum ſoli cre-  
dentes fidem afferant (vnicum rebus  
ſignificatis ſumendis aptum inſtrumē-  
tum) à ſolis credentibus res ſignificatas  
ſumi. Quòd ſi excipias, quum res ſigni-  
ficatæ ſoli fidei præbeantur, hinc conſe-  
qui non præberi iis qui fide ſunt deſti-  
tuti, perinde ſanè fuerit ac ſi dicas ſo-  
lem cæcis aut exoculatis lumen ſuum



non offerre, quoniam à solis oculatis lux Solis percipiatur. Quòd si meo responso contradicis, ad ipsum Brentiũ nondum vbiquitarium prouoco, id est, ad ea quæ in Iohan. 6. disertissimis verbis iam olim scripsit.

Venio ad alterum argumentum, quo contendimus separari Christi corpus à sua virtute spiritali nõ posse, ac proinde indignè accedentes ipsum non participare. Ad hoc tu respondes, quòd isti ex Christo vitam non hauriant, euenire ipsorum incredulitate, quæ non possit Dei fidem exinanire. Concedimus vtrunque, sed negamus quicquam hoc ad rem propositã facere. Nec enim, cuius culpa id eueniat, quæritur, sed an corpus Christi sumpsisse credendi sint, qui in morte manēt, atque adeò iram Dei magis ac magis in sese cumulant, nedum vt ex Christo alimoniam vitæ, necessario vinculo ipsi inhærentē percipiant. Neque nos verò, vt modò declarauimus, fidem Dei exinaniri indignorum incredulitate dicimus, etiam si signum tantũ sumant, nisi fortasse putas adimi soli lucem ab iis qui contendunt ipsum cæcis non lucere. Respondes



spōdes postea Christum proponi tū in verbo tum in sacramentis, non tantum vt seruatorem, sed etiam vt iudicem. Sed ne id quidem, etsi verissimè, tamen appositè dicitur. Nam seruator quidem est eorum, qui ipsum oblatum apprehendunt (id est, credentium, quoniam non nisi fide apprehenditur): Iudex autem eorum est, qui oblatum sua incredulitate respuunt. At tu vis illum & à credentibus & ab incredulis recipi, ab illis videlicet ad vitam, ab istis verò ad mortem: quod mihi quidem non minus absurdum videtur, quàm si dixeris lucem Solis, sicut quibusuis offertur, ita etiam à quibusuis recipi, sed bonis quidem oculis præditos ipsius luce illustrari, oculis autem priuatos excæcari. Id autem eo etiam ipso confirmatur, quod tu subiicis, quòd videlicet Evangelij prædicatio sit piis & impiis multis communis, sed piis quidem odor vitæ ad vitam, impiis autem odor mortis ad mortem. Nam vt in sacramentis, ita quoque in simplici verbo diuino prædicato tū signa tum res significatas semper necessariò coniunctas agnoscimus, siue illi credatur siue minus, vt scitè ad-



modum sacramenta Augustinus visibilia verba nuncuparit. Signa sunt igitur in prædicatione verbi diuini, voces ipsæ quibus aures feriuntur, res significatæ sunt ipsa doctrinæ Christianæ mysteria ad credendum vocibus illis explicata. Quid igitur? nempe voces audiuntur à quibusuis, quibus prædicatur verbum. Res autem significatas soli fideles, intellectas per fidem ad vitam æternam recipiunt: increduli verò partim ne intelligunt quidem, partim vtcunque intellectas, incredulitate tamen sua respiciunt. Christus igitur ipse tum in verbo tum in sacramentis eos quidem, à quibus sumitur, id est, fideles viuificat: incredulos autem non receptus, sed repudiatus iudicat.

*Appendix Pappi.*

**N**EQUE est quod blasphemi isti metuant, ne Christi corpus, si verè cum pane exhibeatur, etiam à canibus voretur, quod horrendum est & dictu & auditu. Non enim tam irreuerenter & irreligiosè à nobis hæc mysteria tractantur, vt ea canibus obiciantur. Præterea Cœna Domini nō propter canes, aut cæteras bestias, sed propter homines



nes Christianos tantum est instituta. Neque sacramentum est vnquam id quod esse dicitur extra vsum, quemadmodum nostri ex verbo Dei contra papisticam corporis Christi inclusionē & circungestationem sæpenumero demonstrarunt. Denique ait Beza D. Brentium nunquam viuente D. Philippo Melancthone ausum fuisse mentionem facere vbiquitatis, quam ipsi ita contumeliosè appellant. Id manifestè falsum est, quum etiam in ipsius D. Lutheri felicis memoriæ scriptis hæc ipsa sententia ex verbo Dei diligentissimè contra Zuinglianos asserta & defensa reperiatur, in libro, cui titulus est præfixus, Quòd verba in Cœna, Hoc est corpus meum, adhuc firma sint: & in sua magna confessione.

*Apologia Beza.*

**N**EMO nos adhuc (Dei beneficio) legitimo iudicio, imò ne coram illis quidem accusatoribus, simul & *div. scriptis* iudicibus citatos, vllius blasphemix coarguit. Itaque ab omnibus conseruos suos absente Domino verberantibus ad Dominum, atque adeo ad



legitimum conseruorum etiam nostro-  
rum cognitionem, prouocamus, Deum  
interea precati, vt hanc quoque nobis  
abs te immeritissimè factam iniuriam  
tibi condonet. Quod autem huc appo-  
suiſti, aliunde quàm ex istis meis homi-  
liis desumpſiſti: & scholasticos ipsos sibi  
istiusmodi penè infinita obicere non  
ignoras, quæ nunquā dissoluere potue-  
runt, nec sanè poterunt, quoniam ex  
reali præſentia & cōnexionē corporis  
cum signo necessariò efficiuntur. Quid  
ſi verò ex hac quoque ueſtra doctrina  
eadem illa colliguntur, quāuis pro trāſ-  
ſubſtantiatione Conſubſtantiationem  
initio, ac nunc tandem pro hac & illa  
Vbiuitatē ſtatuatis? Negas igitur vos  
ita irreuerenter loqui. Atqui non quæ-  
ritur an ſic loquamini, ſed an ex ueſtris  
poſitis iſta conſequantur, quæ nos quo-  
que ſine horrore ne cogitare quidem  
poſſumus. Falleris enim vehementer ſi  
nos iſtas quæſtiones mouere niſi inui-  
tos putas. Ponite igitur nos ex vobis  
quærerere (nec enim ex quoquam verum  
diſcere nos puduerit) quānam iſta ex iis,  
quæ tanquam pietatis arcem tutamini,  
nō efficiātur. Hic ſiue peccamus, an vos  
potius



potius, qui percontantibus non satisfacitis? Sed ad rem. Non ignoras canes & porcos à Domino vocari eos ipsos, quos tamen contenditis ipsum corpus Domini sumere, nihilo certè minùs illis impuros, imò etiam ipsis canibus aut porcis immundiores. Quid igitur hîc prætexis? Non sunt, inquis, sacramenta extra vsum. Concedimus: sed quid vsum vocas? Legitimam, opinor, administrationem. Quid si igitur in ipso vsum, in ipsa, inquam, legitima actione tale quidpiam accidat? Non sunt, inquis, bestiis, sed hominibus instituta sacramenta. Sanè ita est. Sed si re ipsa absque vllò tropo in, sub, & cum pane illo adest ipsum corpus Domini vique adeo, vt à quibusvis siue indignè siue dignè accedentibus, manu & ore corporis sumatur, quânam istud ad solos homines restrinxeris? Quòd autem refert de inclusione & circungestatione nihil profectò ad rhombum.

Supereſt illud in quo tu me mendacij accusas: quòd videlicet alicubi dixerim Brentium non nisi mortuo magno illo beatæ memoriæ Philippo istas de Vbiquitate controuerſias,



mouisse. Tu contrà prouocas ad Lu-  
 therū, qui de Vbiquitate antea scripse-  
 rit. At ego non de Luthero, sed de Brē-  
 tio istud scripsi, quem negare non po-  
 tes arcanum istud omnimaie statis ad o-  
 bitum vsque D. Philippi missitasse qui-  
 dem nonnunquam, at nunquam nisi il-  
 lo extincto aperte effatum, cuius rei te-  
 stes tibi omnes eius libros ante illud tē-  
 pus scriptos fero. Scripsit quoque non-  
 nihil tunc de Cœna Iacobus Andreas,  
 quo videbatur viam quandam ad con-  
 cordiam aperire, quum Westphalus &  
 Helhusius, nusquam tamen adhuc Vbi-  
 quitate, quasi monstro quodā Gorgo-  
 nis, apparēte, nos grauitèr oppugnarēt.  
 Tum, inquam, nullum de hac re verbū,  
 sed *quod tē pntē nō diabolus* disceptaba-  
 tur. Quauis enim Illyricus & eius fa-  
 ctio Philippi auctoritatem apud ingra-  
 tos discipulos imminuerent, zelo tamē  
 bonorum istorum virorum præponde-  
 rabat hominis auctoritas, necdum satis  
 ad hæc instillanda Principum aures  
 patebant. Sed in primis eos cohibebat  
 ipsius Lutheri, à quo toti pendere velle  
 videbantur, admonitio grauissima, qui  
 etsi ( quod omnibus non contentiosis  
 plus



plus satis constat) tum calore disputandi ultra metā prouectus; tum peccatis nostris sic merentibus istius Ubiquitatis fundamenta postea iecerit; tamen id fecisse tanquam ex abundanti videri voluit. Quod ne quis à me confictum dicat, & ut omnes intelligant quibus gradibus & quo spiritu ad istam concertationem sit peruentum, ecce tibi, Lutheri verba, quæ primus ego non cito, ex tomo Ienensi, 8. fol. 375. *Quæritur quomodo Christus possit esse corporaliter in sacramento, quum tamen unum corpus non possit simul & semel esse in pluribus locis. Ad hæc ego respondeo. Christus dixit quòd ibi adesse velit, ideo verè est in sacramento & quidem corporaliter & ideo veraciter est ibi: NEQVE DEBET alia causa istius corporalis præsentiaæ quari, quàm hæc tantum. Verba enim ista sic sonant, idcirco necesse est ista fieri ut sonant. Quod autem ad ipsum corpus attinet, potest Christus quando vult, ubique & in omnibus locis esse, ac ideo alia est ratio ipsius quàm nostri corporis. De Ubiquitate vel in omnibus locis præsentia, non debet disputari. Longè enim alia res est in hac causa. Audis, Pappe, Lutherum asserere qui-*



dem corporis Christi Vbiquitatem v. bique vult Christus, sed (vt Papistæ quoque docent) quæ ab ipsius absoluta voluntate ac potentia pendeat, nulla personalis ac vnionis mentione facta? Audis illum velle præsentiam corporis in pane ab vnis institutionis Cœnæ verbis pendere? Audis illum nolle prorsus, vt quæstio de vbiquitate in hac controuersia audiatur? Sed in alijs postea scriptis, inquires, personali vnioni diserte vbiquitatem adscribit. Concedo: sed num audiendus in foro testis, qui sibi ipsi contradicat? Iam autem audias etiam quid olim ipsi, qui nunc istud dogma quàm acerrimè tutantur, de illo senserint, nisi fortè contra conscientiam tunc ista scripserūt, quod sanè non puto. Sic igitur Scribit Kemnitius contra cōcilij Tridentini decreta, *Fundamentū præsentia Christi in Cœna D. Luther monuit nō esse collocandū in disputatione de vbiquitate, sed in veritate verborum institutionis.* Sic quoque Selneckerus primo de Cœna Domini libro, *Nemo hīc docet aut contendit de vbiquitate, hoc est, quod corpus Domini sit vbique.* Item, *Non est necesse quēquam de vbiquitate*



*quitate sollicitum esse, aut disputare quomodo Christi corpus sit ubique, sed tantum hoc loco quaritur de institutione & veritate Christi, omnipotentis Dei. Ac multò etià acriùs Heshulius & quidè rectissimè in libro de Cœna, Extra oleas, inquit, vagatur qui rixas de ubiquitate immiscet. Quñ enim in Christo natura maneant distinctæ, non dicimus humanam carnem Christi esse ubique, non dicimus Christi corpus esse in ligno, in lapide, in frugibus. Item, ut euidēs illud discrimen humana & diuina natura maneat in Christo, non dicimus ubique esse corpus Christi, sed recipimus modū loquendi patribus traditum, Christus est ubique, scilicet communicatione idiomatum, id est, diuinitas eius est ubiq, & propter unionē duarū naturarū hypostaticā, alterius natura proprietas toti personæ in concreto tribuitur. Hæc illi, nec aliter viuenteadhuc Philippo & aliquot post annis scripserunt plerique licet præsentia realis in sacramento propugnatores, donec Brentius classicum canens *ἑίδος μῆλον* iaceret, apertè Lutheri admonitioni verbis istis contradicens in tractatione verborum Christi, In domo patris mei, Qui concedere & fateri non vult corpus*  
 k. ij.



Christi esse ubiq̃, manifestè per hoc declarat, etsi multa verba iactet de vera præsentiâ Christi Cœnæ Dominicæ, donis item & beneficijs quæ nobis in ea offeruntur, quod tamē in intimo corde sit Zuinglianus. Item in Recognitione, Qui non crediderint Christum unâ cum corpore & sanguine suo verè in Cœna præsentem esse prius quàm verba Cœnæ recitauerint, non video quomodo effugere possint magicam Papistarum consecrationem. Item, Credendum est corpus & sanguinem Christi iam antea præsentia esse per eius Maiestatem, & talis præsentia verbis institutionis annūciatur tantum & distribuitur. Quid autem Iacobus Andreas De colloquio Malbrunensi? Quicunq̃ dicunt, inquit, se credere veram corporis & sanguinis præsentiam in Cœna: & tamen Ubiquitatem, sicuti ea à nobis de Maiestate hominis Christi docetur, negāt, hos certè oportet aut Magicos Papistas esse, aut in intimo corde cum Zuinglianis sentire. Item, contra Theologos Heydelbergenses. Quicunq̃ hanc Maiestatem Ubiquitatis nobiscum fateri nolunt, verū fundamentū præsentia corporis Christi in Cœna negāt. Quid Lucas Osiander in illis suis verè tribunitiis concionibus? Intelligūt, inquit,




inquit, Zuingliani si fundamentum vbi-  
 quitatis euertere possent, quòd ex reliquis  
 argumētis nihil posset contra ipsos obtineri.  
 Hæc igitur post Philippi demum mor-  
 tem dissidia inter vos apertè primùm e-  
 ruperunt, quæ vtinam, vincente veri-  
 tate, feliciter componere mallent non-  
 nulli, quàm tot Ecclesiarũ excidio cõ-  
 munes aduersarios exhilarare, & Bestiæ  
 plagam sanare. Nos quidem nullam le-  
 gitimã cognitionẽ aut priuatã etiam ou-  
 zñstion refugimus, cuius loco si vi res  
 geratur ( vti cœptum est ) & pseudana-  
 themata obtineant, videat, audiat, re-  
 quirat Dominus.


















rum.

nenda nota

dum com-

legendum

dum opm

m edere, le-

dum peti-

a conjun-

rum lin. fe-

nento com-

n periodi

a disci.

nate repq-

a nota par-

nenda no-























ALVENSLEBEN

Ei

157



Propheta  
Isaia  
Capitulum  
XVI

Ita sit veritas  
vobis contra  
tuum generum  
Tendit  
et cetera  
eo cum

Propheta de hunc  
Ita i  
duarum  
rum i  
Iohann

Dispositio  
Königliche  
Andreas Schae  
mann















## HYPOSTATICA

DVARVM IN CHRI-

sto naturarum vnione & eius  
effectis, placida & Christiana  
disceptatio Theodori Bezæ,  
Geneuensis Ecclesiæ Ministri,

CVM D. IOHANNE PAPPO,

*Argentinensis Ecclesiæ  
Doctore.*

